


21104



DE

A. CREMUTIO CORBO

COMMENTATIO.

SCRIPSIT

Carolus Rathlef.

DE
A. CEBMUTIO COBDO

COMMENTATIO,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI

HISTORICORUM ET PHILOGORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA DORPATENSI

AD

SUMMOS HUIUS ORDINIS HONORES

RITE OBTINENDOS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Carolus Rathlef.



DORPATI LIVONORUM.

TYPIS HENRICI LAAKMANNI.

MDCCCLX.

I m p r i m a t u r

haec dissertatio ea conditione, ut, simulac typis excusa fuerit, numerus exemplorum lege praescriptus collegio ad libros explorandos constituto tradatur.

Dorpati Livon. a. d. IX. Kal. Apr. a. MDCCCLX.

Dr. *Strümpell*,

ord. hist. et philol. h. t. Decanus.

(Nr. 6.)

PROLEGOMENA.

Inter eos viros, qui sub crudeli Claudiorum imperio dicendi scribendique libertatem morte expiaverunt, A. Cremutius Cordus historiarum scriptor insignem locum tenet. Libri ab eo conscripti, quos Tiberio imperante senatus cremandos censuerat, Imperator Caligula vero requiri et esse in manibus lectitarique permiserat, primo seculo p. Chr. n. satis divulgabantur; ineunte vel seculo secundo Suetonium eos legisse scimus. Scripta tamen hujus rerum scriptoris, quod valde dolendum, ut multorum aliorum, omnino fere deperdita sunt. Exigua tantum fragmenta ad nostra pervenerunt tempora, nec de ejus vita quidquam nobis traditum est, nisi causa in eum acta et extremum quod subiit fatum.

Causam Cremutii Cordi eximie descripsit Tacitus¹⁾. Eandem rem tractavit Dio Cassius²⁾, paucioribus Suetonius³⁾, de familia vero et morte ejus accuratissime diseruit L. Annaeus Seneca in consolatione ad Marciam, Cremutii filiam, scripta. Eorum v. v. d. d., qui egerunt de literarum Romanarum historia, diligentissime Gerh. Joann. Vossius, qua uti solebat subtilitate, primarios de eo collegit locos⁴⁾, Hanckius ejus mentionem non facit⁵⁾, recentiorum

1) Annal. IV. 34. 35.

2) LVII. 24.

3) Octav. 35. Calig. 16. Sine dubio eundem significat Tib. 61.

4) Gerh. Joann. Vossii de historicis latinis libri III. Ed. altera. Lugd. Bat. 1651. L. I. c. XXII (p. 112. 13).

5) M. Hanckii de Romanorum rerum scriptoribus Liber. Lps. 1669.

Baehrius⁶⁾, Bernhardius⁷⁾ et Gerlachius⁸⁾ secundum ea, quae sibi in operibus edendis proposuerant, obiter tantum eum tangunt, quod magis etiam in Ulricium⁹⁾ cadit, cujus operis ingenium minus nota referri non patitur. Breviter de eo egit Beckerus in *Encycl. Erschii et Gruberi*¹⁰⁾, brevius Paulius in *Encyclopaedia*¹¹⁾. In collectionibus fragmentorum historiographorum Romanorum, quae prioribus seculis a Riccobono¹²⁾, Sylburgio¹³⁾, Augustino¹⁴⁾ et Popma¹⁵⁾ editae sunt, eum non reperies. Etiam postquam nostro tempore fragmenta deperditorum rerum scriptorum diligentissime colligi et adumbrari coepta sunt, Cremutius Cordus in collectiones fragmentorum historicorum Romanorum non receptus est. Krausii opus diligenter et accurate scriptum¹⁶⁾ pariter ac Rothii¹⁷⁾ Cordi tempora non attingunt. In numero vero historicorum Romanorum minorum, quorum fragmenta recentioribus temporibus collecta,

6) Bähr: *Geschichte der Röm. Lit.* 3. Ausg. Bd. 2. 1845. p. 112. 13.

7) Bernhardt: *Grundriss der Röm. Lit.* 3. Bearbeitung. 1857. p. 269. 595.

8) Gerlach: *Die Geschichtschreiber der Römer.* 1855. p. 192 sq.

9) Ulrici: *Characteristik der antiken Historiographie.* 1833.

10) U. J. H. Becker in: *Allgemeine Encyclop. der Wissensch. von Ersch und Gruber.* v. Cordus.

11) *Real-Encyclopädie der classischen Alterthumswissenschaft von Pauly.* v. Cremutius Cordus.

12) Riccobonus: *de historia, cum frgm. hist. Lat.* 1568.

13) Fr. Sylburg: *hist. Rom. scriptores.* III T. 1588.

14) *Fragmenta hist. vet. Roman. collecta ab Antonio Augustino.* 1595 (quae etiam reperiuntur in: *Ant. Augustini opp. omnia* 1772. Vol. VII. p. 264 sqq.).

15) Ausonius Popma: *Fragmenta historicorum.* 1620. — Sylburgius et Popma mihi quidem ad manus non erant, sed ex indicibus Fabricii (*Bibl. Lat. Ed. Ernesti.* T. III. 1774. p. 278 sqq. *De historicorum fragmentis et collectionibus*) elucet, eos Cr. Cordum non recepisse.

16) A. Krause: *Vitae et fragm. hist. vet. Rom.* 1833.

17) Roth: *hist. vet. Rom. reliquiae in Gerlachii editione Salustii.* 1853.

aut quorum scripta adumbrata sunt, ut Fabiorum, Cinciorum, M. Porcii Catonis, L. Calpurnii Pisonis, Junii Gracchani, L. Cornelii Sisennae, Valerii Antiatis, T. Pomponii Attici, M. Terentii Varronis, G. Grani Liciniani, C. Asinii Pollionis, Imperatoris Augusti, M. Valerii Messalae Corvini, Fenestellae¹⁸⁾, etiam Cordus non omnino praetermissus est. Jam sub finem seculi praeteriti Grunerus¹⁹⁾ opusculum edidit, nomen Cremutii Cordi prae se ferens; sed auctor Cordum tantum commemorat in praefatione et inter alia narrat causam Cremutii Cordi duce Tacito (p. 111—15), re vera tamen disserit de libertate scribendi librisque prohibitis. Recentiore demuim

18) Whitte: *de Q. Fabio Pictore ceterisque Fabiis historicis.* 1832. Baumgart: *de Q. Fabio Pictore antiquiss. Rom. hist. Part. I.* 1842. Harless: *de Fabiis et Aufidiis rerum Roman. scriptoribus.* 1853. — Liebalddt: *L. Cincius Alimentus, in ejusdem: Historiae. Rom. reliqq. denuo collectae et illustratae.* 1833. *De Lucii Cincii, Cinciorum frgm. ed. M. Hertz.* Adjecta est de M. Junio Gracchano disputatio. 1842. — *Catoniana s. M. Porcii Catonis, quae supersunt operum frgm. Nunc primum seorsim auctius ed. Lion.* 1826. H. v. Bolhuis: *diatribe in M. Porcii Catonis scripta et frgm.* 1826. Wilms: *M. Porcii Catonis vita et frgm.* 1843. Wagener: *M. Porcii Catonis originum frgm. emendata, disposita, illustrata.* 1849. Bormann: *M. Porcii Catonis libri septem. Reliquia disposuit, de instituto operis disputavit.* 1858. — Liebalddt: *de L. Pisone anal. scriptore.* 1836. — Mercklin: *de Junio Gracchano commentatio. P. I. II.* 1840. 41; cui addendum est supra laudatum Hertzii opusculum. — L. Cornelii Sisennae vitam conscripsit Roth. 1834. Wernicke: *Sisenniana s. L. Corn. Sisennae vitam et quae supersunt operum frgm. ed.* 1839. — Liebalddt: *de Valerio Antiata anal. scriptore.* 1840. — Hullemann: *diatribe in T. Pomponium Atticum. Accedunt scriptorum frgm.,* 1838. — Krahnert: *specimen commentationis de M. Terentii Varronis Antiqu. rerum human. et divin. libris XLI.* 1834. Francken: *dissertatio exhibens frgm. M. Terentii Varronis.* 1836. — Gai Grani Liciniani *Annal. quae supersunt — nunc primum edidit. Pertz.* 1857. Granii Liciniani quae supersunt emendatiora ed. philologorum Bonnens. heptas., 1858. — Thorbecke: *comment. de C. Asinii Pollionis vita et studiis doctrinae.* 1820. — Weichert: *de Imperatoris Caesaris Augusti scriptis eorumque reliquiis, I. II.* 1835. 36. *Ejusdem: Imp. Caesaris Augusti scriptorum reliquiae. Vol. I.* 1846. — Wiese: *de M. Valerii Messalae Cornini vita et studiis doctrinae.* 1829. — Mercklin: *de Fenestella historico et poeta.* 1844. Poeth: *de Fenestella hist. scriptore et carminum.* 1849.

19) Gruner: *Cremutius Cordus oder über die Bücherverbote.* 1798.

tempore Jul. Heldius de vita scriptisque ejus commentationem conscripsit ²⁰⁾. Etiam v. v. d. d., qui tractaverunt historiam Romanorum et historiam universalem, Cordi mentionem fecerunt, inter quos prae ceteris commemoro Tillemontii ²¹⁾ et Crevieri ²²⁾ opera nec non historiam quam vocant universalem Halensem ²³⁾. Novissimus Imperatorum Romanorum historiae auctor Hoeckius, qui materiam suam maxima cum diligentia et rerum scientia tractavit et uberius loquitur de persecutionibus et causis sub imperio Tiberii actis, Cremutii Cordi causam vel maxime memorabilem, quod mirandum, non nisi in transcurso tetigit ²⁴⁾. Aliter in opere de primo p. Chr. n. seculo scripto Schmidtius, qui quamvis a peculiari operis ingenio paucis verbis, tamen pluribus locis eum respicit ²⁵⁾.

Cum Heldii opusculo, quod summam rei diligenter quidem sed breviter tantum exponit, materia mihi nondum exhausta et ab omni parte examinata esse videatur, cumque inde ab illo tempore, quo in lucem prodiit, nonnulla additamenta ad hanc rem spectantia prolata sint, non supervacaneum suscepisse opus mihi visus sum, si accuratius de Cremutio Cordo acturus, omnia quae pertinent ad eum, quanta cura fieri posset, colligerem et adumbrarem.

20) J. Held: commentatio de vita scriptisque A. Cremutii Cordi. Suidnicii. 1841. (13 pag. 4°.)

21) Tillemont: Hist. des Empereurs. Première Ed. de Venise revue et corrigée. T. I. Venise. 1732. p. 84.

22) Crevier: Hist. des Empereurs Rom. T. I. 1750. p. 493 sqq.

23) Allgemeine Weltgeschichte. Thl. XII. Herausgegeben von Baumgarten. Halle. 1752. p. 335—37.

24) Götz: Röm. Gesch. vom Verfall der Republ. bis zur Vollendung der Monarchie unter Constantin. Bd. I. Abthl. 1—3. 1841—50. Abthl. 3. p. 187. 198.

25) W. A. Schmidt: Geschichte der Denk- und Glaubensfreiheit im ersten Jahrh. der Kaiserherrschaft und des Christenthums. 1847. p. 21. 40. 62. 63. 67. 97. 104 sq.

QUÆDAM DE TEMPORE QUO VIXIT A. CREMUTIUS CORDUS.

A. Cremutius Cordus, ultimo labentis reipublicae tempore natus, vitam degit sub imperio Augusti et Tiberii. Post bella cruenta et diuturna genus humanum pace demum gavisum est imperante Octaviano Augusto, qui magna cum sapientia, liberae reipublicae statu sensim sensimque commutato, imperium condidit, quod quamvis literis artibusque colendis ita floreret, ut aetas illa appellaretur aurea, tamen tot tantisque affligebatur malis, ut vix quisquam reperiatur, quin isti imperio veram gloriam justumque splendorem omnino deneget. Vigente reipublica, ut ait Tacitus (Annal. I. 72), facta arguebantur, dicta impune erant. Libertate civili oppressa libertas dicendi quoque scribendique magis magisque evanuit. Lex majestatis, quae reipublica adhuc florente jam valuerat, sub imperio Augusti etiam in scripta conferebatur et tanta quidem severitate, ut quae displicuissent, concremari juberentur, ab auctoribus vero ipsis poenae expeterentur satis dirae. Primi prohibiti sunt libri T. Labieni, rerum scriptoris, qui, libris combustis, mortem sibi ipse conscivit ¹⁾. Ejus amicus Cassius Severus orator, libris abolitis, in exilium actus est ²⁾.

Augusti aetatem maxime celebratam secuta sunt decem lustra Claudiorum, tempus terroris plenum et maximae perversitatis generis humani. Horrendam istam aetatem praeclare in Annalibus depinxit Tacitus, cui conferendus est Dio L. LVII—LXIII, nec non Suetonius, in vitis quatuor Claudiorum multa

1) M. Ann. Senecae Controv. V. praef. p. 319 sqq. Ed. Bip. (X. 4 sqq. p. 292 sq. Ed. Bursiani). Suet. Calig. 16.

2) Tacit. Ann. I. 72. IV. 21. Suet. Calig. 16. Eusebii Chron. interprete Hieronymo (Scaligeri Thesaur. temporum. 1658.) p. 158. Animadv. p. 187. cf. de eo etiam Senecam l. l. p. 321 (X. 8. p. 293). Excerpt. Contr. III. p. 395 (III. 1 sq. p. 359). Quint. X. 1. 116; XII. 10. 11; VI. 3. 27 al.

enarrans, quorum imaginem supplent poetae Persius, Juvenalis, Martialis³⁾. Omnes gentis Claudiae Imperatores initio temperantiam et moderationem animi praestiterunt; mox vero degeneraverunt atque moribus in dies corruptiores sese dederunt immodicae crudelitati, inauditae sceleribus et immensae luxuriae, facinorosa committentes quae ut naturae quam maxime repugnantia vesania non procul abessent, ita ut terror et horror omnium capesserent animos. Nec est quod miremur, tunc demum et crimina majestatis omnium maxime in quaestionem vocata esse et delatorum turbam sordidissimam admodum viguisse. Quae cum ita essent, rebus gestis scribendis copia non est data. Praeclare igitur Tacitus initio Annalium: „Temporibus Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione detererentur. Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res florentibus ipsis ob motum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt.“ Et tantum abfuit, ut quibus veritate nihil dulcius exoptatiusque, ad scribendam historiam Romanorum se applicarent, ut potius, non ausi iudicium proferre, aut rebus gestis Romanorum investigandis perscrutandisque aut externarum gentium historiae adumbrandae operam navarent. Isto tempore obriguerunt facta, conticuerunt verba. Eorum vero virorum, quibus aut scripta incaute composita, aut libera vox, qua usi iniquitati temporum frontem opponebant audacem, perniciosi erant, Tiberio imperante clarissimi fuerunt C. Lutorius Priscus, qui de carmine lugubri praemature composito in mortem Drusi minoris in Senatu accusatus in carcere necatus⁴⁾, Aelius Saturninus, qui, cum carmine perstrinxisset Imperatorem, a rupe Tarpeja praecipitatus est⁵⁾, Cremutius Cordus, qui in jus vocatus, cum in eo esset ut damnaretur, sibi ipse vim intulit. Omnes hi paucorum annorum spatium

3) His testimoniis nixi novissimis temporibus opera sua jam supra laudata accurate et egregie composuerunt. Schmidt: Geschichte der Deutschen Glaubensfreiheit. 1847. et Schmidt: Röm. Gesch. Bd. I. 1—3. 1841—50.

4) Tac. Ann. III. 49—51. Dio LVII. 20.

5) Dio LVII. 22.

interjecto medio fere Tiberii imperio vita decesserunt; sub finem ejusdem imperii etiam M. Aemilius Scaurus orator idemque poeta, quem Imperator, suspicatus, verba Euripidea, inserta tragoediae ejus, „principum stultitiam perferri debere,“ in se dicta esse, mortem sibi ipsi consciscere coegit. Orationes ejus concremari jussae sunt, simul cum tragoedia⁶⁾.

His praemissis transire licet ad Cremutii Cordi vitam scriptaque adumbranda.

DE NOMINE A. CREMUTII CORDI.

Cognomen Cordus apud Romanos, imperatorum saltem temporibus, haud infrequens est¹⁾. Praeter historicum nostrum Tacitus etiam commemorat Caesium quendam Cordum, Proconsulem Cretae, Imperatore Tiberio repetundarum accusatum et damnatum²⁾, atque Julium Cordum, quem Aquitanium in Othonis verba obstrinxisse tradit³⁾. Valerius Cordus a Lampridio praeceptoribus Imperatoris Alexandri Severi annumeratur⁴⁾. Junium sive Aelium Cordum rerum scriptorem saepissime laudant qui dicuntur scriptores historiae Augustae⁵⁾. Cordi cogno-

6) Tac. Ann. VI. 29. Dio LVIII. 24. Senecae Controv. V. praef. p. 318 sq. (X. 2 sq. p. 291 Burs.), quibuscum cf. Suet. Tib. 61. Bernhardt l. l. p. 269.

1) Nonnulla de Cordis contulit Glandorpheus in Onomastico hist. Rom. 1589. v. v. Caesii, Cremutii, Julii, Junii, Valerii. Sed multo plures hujus nominis afferri possunt ex inscriptionibus et numis.

2) Annal. III. 38. Ancharius Priscus Caesium Cordum pro consule Cretae postulaverat repetundis, addito majestatis crimine. III. 70. Post auditi Cyrenenses et accusante Anchario Prisco Caesius Cordus repetundarum damnatur.

3) Hist. I. 76. Ne Aquitania quidem, quamquam a Julio Cordo in verba Othonis obstricta, diu mansit.

4) Alex. Severus c. 3. In prima pueritia literatores habuit Valerium Cordum et L. Veturium et Aemil. Philippum.

5) Hic scriptor, qui modo Junius Cordus, modo Aelius Cordus, modo simpliciter Cordus sive Junius appellatur, saepissime testis affertur rerum in vitis Imperatorum tertii seculi post Chr. n. narratorum, ut Clodii Albini (Jul. Capitol. Clod. Albin. c. 5. 7. 11. Ed. Bip. II.

men haud rarum fuisse e Quintiliano quoque liquet⁶⁾. Praeterea reperitur in inscriptionibus, quae commemorant gentes Aebutiam, Aureliam, Caesiam, Graniam, Lucretiam, Maniliam⁷⁾,

Voll. 1787), Opellii Macrini (Ejusd. Opel. Macrin. 1), Maximinorum (Ejusd. Maximini duo 4. 6. 12. Maxim. junior 1. 2. 3. 5), Gordianorum (Ejusd. Gordiani tres 4. 5. 12. 14. 17. 19. 21. 22. 26. 31. 33), Maximi et Balbini (Ejusd. Max. et Balb. 4. 12), quae maxima ex parte Julio Capitolino tribuuntur. Semel apud Trebell. Pollionem in vita Valerianorum patris filiique c. 3. Julius quidam laudatur, is vero sine dubio idem est ac Junus noster. Vix dubitandum est, quin tantummodo unus rerum scriptor exstiterit nomine Junii sive Aelii Cordi appellatus, cum non solum promiscue laudentur, sed etiam idem reprehendatur in alterutro, nec non fuerint ejusdem ingenii et indolis ejusdemque scribendi generis, ut patet ex comparatione locorum allatorum. Negligentissimos nimirum sese praebuissent illi vitarum scriptores, imprimis Jul. Capitolinus, si iidem eundem testem variis nominibus notassent. Verisimilius igitur est, illum habuisse duo nomina gentilicia, Junium et Aelium, cujus rei exempla praesertim Imperatorum temporibus, quibus vel tria et plura assumebantur, non raro occurrunt (cf. Excursus). Fuit autem iste Cordus scriptor miserimus, qui, ut solebant scriptores hist. Augustae, ineptiarum studiosissimus, res minimi momenti sermone tumido enarrans, orationibus actisque fictis et supposititiis confirmare studebat enarrata. cf. Vossium l. l. p. 179 sq. Dirffen: Die Scriptores Historiae Augustae. 1842. p. 28—30. Bähr l. l. II. p. 175 sq. — Quo melius cognoscatur Cordus iste, qui a Cremutio Cordo nostro, ratione habita cum ingenii et indolis tum generis dicendi, longe differt, nonnullos tantummodo e multis afferre libet locos. Jul. Capitol. Clod. Alb. c. 5. Quae qui volet nosse, Aelium Cordum legat, qui frivola super hujuscemodi omnibus cuncta persequitur. c. 11. Gulosum eum Cordus, qui talia persequitur in suis voluminibus, fuisse dicit, et ita quidem, ut pomorum tantum hauserit, quantum ratio humana non patitur cet. Ejusd. Opel. Macrin. c. 1. Et Junio quidem Cordo studio fuit eorum Imperatorum vitas edere, quos obscuriores videbat — Nam et pauca reperit et indigna memoratu, asserens, se minima quaeque perscrutaturum: quasi vel de Trajano, aut Pio, aut Marco sciendum sit, quoties processerit, quando cibos variaverit cet. Ejusd. Maxim. duo c. 6. Erat praeterea, est refert Cordus, magnitudine tanta, ut octo pedes digito videretur egressus, pollice ita vasto, ut uxoris dextrachario uteretur pro annulo. Ejusd. Gordiani tres c. 21. Non enim nos talia dicere volumus, quae Junius Cordus ridicule ac stulte composuit de voluptatibus domesticis ceterisque infimis rebus cet. Ejusd. Maxim. et Balb. c. 4. Non eo modo, quo Junius Cordus est perscrutatus omnia — Cordus vero tam multa, ut etiam pleraque et minus honesta perscripserit.

6) I. 4. 25. Scrutabitur mille praeceptor acer atque subtilis originum nominum: ut quae ex habitu corporis Rufos Longosque fecerunt — et ex casu nascentium; hinc Agrippa et Opiter, et Cordus et Postumus erunt.

7) Cf. Gruteri Corpus Inscript. Amstelod. 1706. p. 417. 3. M. Granianus Cordus; p. 434. 6. Q. Aemilius Cordus; p. 859. 3. Cordus;

et in numis saltem gentis Muciae et Rusticelliae⁸⁾. Muciam gentem hoc cognomine usam esse testes etiam sunt Dionysius et Aurelius Victor⁹⁾.

Familia vero Cremutiorum nec frequens nec latius propagata fuisse videtur. In Fastis Cremutii nusquam occurrunt, nec mihi contigit reperire nomen eorum in historicis, compilatoribus, commentatoribus, lexicographis, ecclesiae patribus ect., nec in inscriptionibus et numis, excepto Cremutio Rusone, quem Plinius¹⁰⁾ Triario amico suo de meliore nota commendat. Rusonum familia nobis non ignota est. Horatius affert famosum fenestratorem hujus nominis, cujus acerbiter nullo alio modo mitigare possent debitores, quam si eum recitantem quas scripserat amaras historias patienter audirent¹¹⁾, et alias quoque Rusonum

934, 14. Q. Caesius Cordus; p. 959, 3. A. Aebutius Cordus; p. 1106, 9. L. Aurelius Cordus. Mommsen: Inscriptiones Regni Neapol. Lat. 1852. Nr. 4470. M. Granianus Cordus (= Gruteri p. 417, 3); 5173. L. Lucretius Cordus; 5233. Cordus; 6306, 12?

8) Cf. Rasche: Lexicon universae rei numariae. 1785. v. Cordi. — Eckhel: doctrina numorum veterum. 1775—90. Gens Fufia. Muria (V. 220—256). Gens Rusticelia (V. 298).

9) Cf. Dionys. Hal. V. 25. Γάιος Μούκιος [Scaevola]. ὁ Κόρδος ἐπώνυμον ἦν. Aurel. Vict. Virr. illustr. 12. Mucius Cordus [Scaevola]. Cf. etiam Drakenborchium ad Liv. II. 13. Orellii et Baiteri Onomast. Tull. v. Cordus. Apud Ciceronem in Verr. secunda IV. 20. loco L. Cordi negotiatoris Siculi potius legendum videtur Cordius vel Curidius. cf. Orellium ad Cic. l. l. Onomast. Tull. v. Cordius.

10) Plin. epist. VI. 23. Peto atque etiam paciscor, ut simul agat Cremutius Ruso — Quod si cui praestare Rusoni meo debeo, vel propter natales ipsius, vel propter eximiam mei caritatem — Est indolis optima cet.

11) Sat. I. 3. 86 sqq. (Var. lect. Druso, Ruso, Riso. Horatius Torrentii. Antwp. 1608). Cf. de eo Vossium p. 106. Bähr II. p. 112. Secundum Porphyriorem Octavius Ruso nominabatur. Non confundendus est cum Cn. Octavio Rusone quaestore, a Sallustio Jug. 104 commemorato, quo loco Codd. plurimi Rufone, quod Glandorpius in Onomastico hist. Rom. 1589. p. 637. Rusone emendavit. cf. Orellium ad Horat. Sat. I. 3. 86. (Ed. tertia curante Baitero. 1852); nisi forte praetuleris plurimarum editionum lectionem Rufo, quae paucis Gruteri codicibus et Pighii auctoritate (Annal. III. 139) nititur. cf. Gerlachium et Kritzius ad Sallust. Jug. 104. Ellendtius (de cognomine et agnomine Romano. 1853), p. 20 quidem in indice cognominum affert Rufones, usus auctoritate Tac. Annal. VI. 30 et Plin. ep. IX. 19; at ego in omnibus Taciti editionibus, quot-

nomen occurrit¹²). Noster Cremutius Cordus modo Cremutius Cordus, modo transpositione nominum¹³) Cordus Cremutius, nonnunquam etiam tantummodo Cremutius aut Cordus nominatur¹⁴). Cordum praenomen Auli tulisse solus Seneca refert¹⁵). Pleno nomine igitur A. Cremutius Cordus appellatus est.

Heldius, qui opinionem protulit, vix alium civem iisdem nominibus insignitum reperiri (p. 4), nomen gentile eidem prorsus defuisse, Cremutium et Cordum cognomen et agnomen fuisse (p. 4. not. 4), in errore versatur. Cordi nomen plurium familiarum cognomen fuisse supra docuimus, auctoribus ipsis, inscriptionibus, numis id suadentibus; derivandum est a casu nascendi, ut Agrippa, Postumus, Vopiscus. Significat enim Cordus sive Chordus serius natum¹⁶). Quare nec Orellius (Henzen) No. 6212 dubitavit cognomen tale agnoscere, nec Zellius¹⁷) nec

quot adire mihi contigit, invenio Abudus Ruso, in Plinio vero Codd. Ald. et Voss. exhibent Rusoni, Medic. et Pragens. Rusonio. cf. Gierigium ad Plin. IX. 19 et Titzium ad Plin. VIII. 17.

12) Ruso cognomen Calvisiorum quoque et Occiorum erat, cf. Gruteri Inscriptiones p. 64, 9; p. 302, 1. Martial. V. 28 quoque Rusones affert.

13) Transpositio nominum usitata erat ultimis reipublicae et Imperatorum temporibus. Exempla exstant apud Ciceronem, Plinium, Vellejum, Senecam, Quintilianum, Tacitum alios.

14) Cremutius Cordus apud Tacitum (Ann. IV. 34, Dionem (LVII. 24), L. Ann. Senecam (Consol. 1); Cordus Cremutius apud Suetonium (Aug. 35. Calig. 16); utramque formam exhibet M. Ann. Seneca (Suas. VI. al. VII); tantummodo Cremutius in Plinio (Nat. hist. X. 26. XVI. 26) et ex eo Solinus; apud eundem Plinium tantummodo Cordus (L. VII Index).

15) L. Ann. Senecae Consolatio ad Marciam c. 1. Mortem A. Cremutii Cordi, parentis tui — inhibuisti.

16) Quint. I. 4. 25. Ex casu nascentium: hinc Agrippa et Opiter et Cordus et Postumus. Varro R. R. II. 1. 19. Dicuntur agni chordi, qui post tempus nascuntur ac remanserunt in volvis intimis. Vocant χορδιον, a quo chordi appellati. Plin. N. H. VIII. 73 (VIII. 187 Sillig.). Gerunt partum diebus CL— cordos vocabant antiqui post id tempus natos. cf. etiam Sigonius: de nominibus Romanorum (Graevii Thes. antiq. Rom. T. II. 1694, p. 1981). Rasche l. l. v. Cordi. Dräkenborchium ad Liv. II. 13. Zell: Handbuch der Röm. Epigraphik. Vol. II. 1852. p. 96. 97. pag. X.

17) l. l. pag. 97.

Ellendtus (p. 25) in indices cognominum recipere. Ut cognomina Flavus, Julius, Licinus, Rutilus respondent nominibus gentilicis Flavio, Julio, Licinio, Rutilio, sic Cordus Cordio¹⁸). Agnominis vero locum, quantum mihi quidem notum, nusquam tenet. Nec minus supra probavimus, nomen Cremutii, etiamsi rarum, l. l. Pliniano nominis gentilicii locum tenere, quod neminem fugiet, qui, quae p. 11. 12. continentur, accurate perlegerit. Adde quod nominum gentilium desinentium in *utius* plura reperiantur exempla, ut Acutius, Aebutius, Albutius (Albucius), Balbutius, Betutius (Betucius), Cannutius, Carutius, Cossutius, Dolutius, Tarrutius (?), Varrutius (ut mulierum nomina Dirutia, Fututia, Pollutia, Sannutia silentio praeteream)¹⁹). Etiam terminationis *ucius*, quae ad illam proxime accedit, exstant exempla, ut tantum notissimas afferam, Minucius et Genucius²⁰). Porro cognomina desinentia in *ius* valde dubia sunt et, si adhibebantur, optimis Romanorum temporibus rarissima fuerunt (cf. Excursum). L. Annaeus Seneca denique, qui solus plenam exhibet formam A. Cremutius Cordus et haud dubie totum plenumque Cordi nomen ponere voluit, cur potius praenomen, cognomen et agnomen perscripserit, nomine ipso praetermisso, equidem non video.

Majoris momenti alia res esse videtur. Cordi filia, ut notum est, Marciae nomen gerebat. Cum vero apud Romanos filiabus patris nomen gentilicium imponi soleret, concludi possit, patrem e gente Marcia fuisse. Quod si ponitur, coaccervatione tantum nominum gentilium fieri potuit, ut Cordus ex more seniorum temporum nomen A. Marcius Cremutius Cordus gessisset. Cum vero nusquam haec nominis forma reperiatur, sed tantum forma Cordus vel Cremutius, vel Cremutius Cordus, vel transpositione Cordus Cremutius, vel denique A. Cremutius

18) Gens Cordia reperitur in inscriptt. Grut. et Murat. atque Eckhelio teste l. l. p. 178 sq. in numis.

19) Cf. Huebneri quaestiones onomatologicas Latinas. 1854. p. 39 sqq.

20) Indicem exhibet idem l. l. p. 37 sqq.

Cordus, illa conjectura parum probabilitatis habet. Marciae nomen a patris nomine diversum multo simplicius alio modo explicari posse videtur. Romanos ultimis reipublicae et Imperatorum temporibus magnam in nominibus capiendis licentiam sibi sumpsisse satis notum est. Ut filii gerebant nomen gentilicium a paterno diversum, interdum nomen gentilicium maternum, vel etiam ab utriusque parentis nomine discrepans, sic interdum filiabus non paternae sed maternae gentis nomen (avi materni vel etiam matris) imponebatur, vel nomen ab utriusque parentis nomine diversum. In filiis sine dubio hoc factum est adoptione in maternam vel alienam gentem. Cum vero non dubitandum sit, quin adoptiones filiarum etiam locum habuerint, a verisimilitudine non abhorret, in filiabus hoc eadem de causa factum esse. Rei naturae consentanea igitur esse videtur conjectura, Cordi uxorem e gente Marcia fuisse et filiam ejus nomen Marciae a gente materna aut adoptione accepisse, aut propinquitate ab avo materno aliove cognato²¹⁾, vel ei a Marcia gente, cui propinquitatis vinculis non conjuncta fuerit, adoptione nomen inditum fuisse (cf. Excursum).

DE A. CREMUTHI CORDI FAMILIA ET VITA

ATQUE DE EJUS INGENIO ET MORIBUS.

Quamquam satis clarus suo tempore Cremutius Cordus erat, tamen de ejus familia et vita perpauca tantum ad nostra pervenerunt tempora. De majoribus Cordi nihil traditum est, neque de parentibus ejus. Tantum e Senecae verbis (consol. XXVI. 3): „Respice patrem atque avum tuum. Ille in alieni percussoris venit arbitrium“, sequitur, Marciae avum occisum esse. Utrum vero paternus an maternus fuerit, non liquet.

21) Jam Lipsius ad Senecae Consol. 1 (L. Annaei Senecae opera. Amstelod. 1678) Marciam ab avunculo aut alio materno cognato assumptam, ex adoptione nomen immutasse conjicit.

Fortasse bello civili proscriptione periit, ut Lipsius conjectat. Oudendorpius¹⁾ in Lucani versibus VIII. 715 sqq.

E latebris pavidus decurrit ad aequora Codrus.
Quaestor ab Idalio Cinyreae litore Cypri
Infaustus magni fuerat comes cet.

cum Grotio putavit loco *Codrus* legendum esse *Cordus*. Comparato hoc loco cum verbis Aurel. Vict. viri illustr. LXXVII: „Triumvir Nilo jactatus, a Servio Codro rogo inustus humatusque est“, ubi *Caesio Cordo* legendum esse censet, probare studet, hunc Cordum eadem familia oriundum esse, a qua ortus Caesius ille Cordus, de quo supra, Cretae et Cyrenarum proconsul, Tacito auctore Ann. III. 38. 70. repetundarum et majestatis crimine damnatus, et hunc quidem originem traxisse ab illo Cordo, quem commemoraverint Lucanus et Aurel. Victor. Postea vero v. d. in Suetonii editione²⁾ aliam protulit opinionem. Etenim Senecae locum de avo Marciae occiso a nobis allatum conjungens cum verbis Lucani VIII. 715 et Aurelii Victoris LXXVII, ubi nunc a *servo Cordi* legit, collatis his locis cum Plut. Pompej. c. LXXX, ubi narratur de cive Romano, qui Philippum Pompeji libertum adjuverit in concremando corpore magni imperatoris, credibile esse dicit, hunc Cordum, qui opera illius liberti ac servi sui Pompeji corpus concremandum curaverit, dum ipse lateret in litore, avum illum Marciae, patrem Cremutii Cordi fuisse, postea in triumvirorum proscriptionibus forsitan occisum. Norisius in Cenotaphiis Pisanis³⁾, agens de Lucan. VIII. 736 sq. eum vel Cremutium Cordum quaestorem nominat. Num patrem Cordi nostri in animo habuerit perspicere non potest. Argumentis rem non probavit. Ceterum ab Ouden-

1) M. Annaei Lucani Pharsalia curante Francisco Oudendorpio. Lugd. Batav. 1728. ad VIII. 715.

2) C. Suetonius Tranquillus ex recensione Fr. Oudendorpii. Lugd. Batav. 1751. ad Oct. Aug. c. 35.

3) Norisii Cenotaphia Pisana p. 386 (Graevii Thesaur. antiq. et hist. Rom. praefationibus Burmanni. T. VIII. p. 3. Lugd. Bat. 1723, p. 353).

dorpio ipso in dubium vocatur, num Seneca paternum Marciae avum significaverit. Nos vero non possumus, quin dubitemus in Lucani et Aurel. Victoris allatis locis de Cordo, patre Cremutii Cordi sermonem esse. Primum enim lectio *Cordus* in utroque scriptore dubia est (ut de mutato *Servio Cordo* in *servo Cordi* taceam); tum vero haec conjectura non bene congruit cum Dionis verbis (LVII. 24), Cremutium Cordum tempore mortis „ἐν πύλαις ἤδη γήρως“ fuisse. Si Cordi pater triumvirorum proscriptionibus occisus est (a. XLIII. a. Chr.), Cordus noster, eo anno demum natus (fortasse etiam prius), tempore mortis (XXV. p. Chr.) jam septuagenarius fuerit necesse est; e verbis vero „ἐν πύλαις ἤδη γήρως ἦν“ concludendum est, eum, ut plurimum dicam, sexaginta annos natum fuisse ⁴). Sed nos non fugit, patrem Cordi etiam serius, bello ultimo civili inter Antonium et Octavianum gesto occidi potuisse, quod si accidit, Dionis verba cum Oudendorpii conjectura congruunt.

Cremutium Cordum tempore proelii ad Philippos commissi natum esse crediderim (anno circiter XL a. Chr.), cum pro certo habere possimus, eum, cum in eo esset, ut moreretur (a. XXV p. Chr.), attigisse ipsam aetatem senilem. Vita ejus omnino fere obscura est. Utrum Romae, an in Italia, an in provincia natus sit quis est, qui non ignoret? Secundum inscriptiones Cordi per totum Italiam dispersi erant; ei rei vero, ubi Cremutii et imprimis Cremutii Cordi sedem habuerint, nullam afferunt lucem. Partem saltem vitae Romae degisse videtur, cum eum annales suos Augusto recitasse testetur Suetonius⁵), cui conferendus est Dio ⁶). Plinii verba, quae leguntur nat. hist. X. 26: „hoc idem exploratum sibi Cremutius tradit“, possunt quidem indicere, partem aetatis cum in itineribus

4) Cf. Beckerum apud Ersch und Gruber. v. Cordus (p. 284).

5) Tib. 61. Quamvis (scripta) probarentur aliquot ante annos, etiam Augusto audiente recitata.

6) LVII. 24. „Ὡστε, ἐπὶ τῇ ἱστορίᾳ, ἣν πάλαι ποτὲ περὶ τῶν τῶ Ἀβγούστῳ πραχθέντων συνετεθείκει καὶ ἦν αὐτὸς ἐκεῖνος ἀνεγνώκει, κριθῆναι.“

faciendis consumpsisse, ut Heldius (p. 5) vult, sed necessarium non videtur, cum verbum *exploratum* satis bene significare possit, eum, quae de Memnonidibus narrat, ex fontibus alienis investigando atque perscrutando hausisse. De studiis ejus nihil certi habemus, neque quidquam de loco, quem cum in republica tum in vita communi tenuerit. Heldius (p. 5) quidem non dubitat, quin, cum artem dicendi et eloquentiam ejus Seneca in consol. praedicaverit, qua ad honores capessendos et opes comparandas viam sibi munire solebant Romani, eidem et ille operam navaverit cum successu prosperrimo. Quod equidem negaverim, ex ingenio et moribus magis concludens, eum solitam viam aspernatum et alia persecutum esse. Opinio v. d. Cremutium nobili loco ortum esse mera conjectura est, nullo testimonio nixa.

De ingenio vero et moribus Cremutii Cordi e Seneca, Tacito et Dione nonnulla colligi possunt. Temporibus bellorum civilium et morum depravatissimorum, omnibus fere deditis avaritiae, adulationi sordidissimae, alios persequendi studio, voluptati et luxuriae, Cremutius Cordus usque ad senectutem servavit morum integritatem, ab omnibus maximi aestimatus ⁷). Plerisque ad novum rerum ordinem se convertentibus, laetis vocibus ei acclamantibus et eos penes quos erat summa potestas adulantibus, Cordus rempublicam tanto amoris ardore amplexus, ut Brutum Cassiumque ultimos Romanorum haberet, pristinum animum Romanum omni tempore et praebuit et probavit integerrimum. Magna cum libertate dictis et scriptis servitutis jugo se opposuit, nec metum aut pavorem ei injicere potuit turpissimus Sejanus, penes quem erat omnis potentia. In annalibus animus liber perspici potuit et libertatis tuendae studium, quod haud difficile collectu praesertim e Senecae consolatione, cujus verba, quamvis amorem patris filiaeque spirantia, nec a dicendi copia et ornatu orationis aliena, quod ad summam rei attinet, fide sunt dignissima. (C. I. 3): „Restituisti

7) Cf. Dio LVII. 24.

in publica monumenta libros, quos vir ille fortissimus sanguine suo scripserat — Cujus viget vigebitque memoria — quamdiu quisquam erit, qui velit scire, quid sit vir Romanus, quid subactis jam cervicibus omnium et ad Sejanianum jugum adactis indomitus, quid sit homo ingenio, animo, manu liber.“ Et (c. XXII. 2): „Propone illud acerbissimum tibi tempus, quo Sejanus patrem tuum clienti suo Satrio Secundo congiarium dedit. Irascebatur illi ob unum aut alterum liberius dictum, quod tacitus ferre non potuerat, Sejanum in cervices nostras ne imponi quidem sed escendere. Decernebatur illi statua in Pompeji theatro ponenda, quod exustum Caesar reficiebat — Exclamavit Cordus, *Tunc vere theatrum perire*“⁸⁾. Denique (c. XXVI. 3): „Ego nihil in me cuiquam permisi.“ Idem liquet e celeberrima Cordi oratione in senatu habita, quae legitur apud Tacitum, cujus verba infra afferemus.

Quam duxerit uxorem Cordus noster ignotum est. E laudibus a Seneca Marciae filiae tributis cum Heldio (p. 5) crediderim, conjugio ejus non defuisse decus. Filiam solam assedissee patri sub finem vitae ipsius e mortis narratione inserta consolationi laudatae non quidem elucet, ut idem v. d. opinatur, sed tantum verisimile est. Nec magis probabile est, ipsum uxorem suam mature amisisse, sed tantum eam ante maritum diem supremum obiisse. Cremutio Cordo filia erat Marcia, virtute, animi fortitudine et integritate morum patris simillima⁹⁾, ejus amantissima et veneratione plenissima, eodem reipublicae amore accensa, studiis literarum dedita¹⁰⁾. Nupserat Metilio,

8) Haec verba haud dubie pronuntiaverat Cordus tertio anno ante, cum patres effigiem Sejani apud theatrum Pompeji ponendam decrevisset, ut liquet e Tac. A. III. 72. „At Pompeji theatrum igne fortuito haustum Caesar exstructurum pollicitus est — Simul laudibus Sejanum extulit, tanquam labore vigilantiaque ejus tanta vis unum intra damnum stetisset. Et censuere patres effigiem Sejano, quae apud theatrum Pompeji locaretur.“

9) Senecae consol. c. I. 1. 4. Robur animi — Magnitudo animi — Approbata virtus — c. III. 4. Quam in omni vita servasti morum probitatem et verecundiam.

10) Seneca c. I. 6. Studia, hereditarium et paternum bonum.

gente plebeja satis nota prognato¹¹⁾, quantum e filii nomine concludendum videtur. Dives erat¹²⁾ nec non auctoritatem quandam habuisse¹³⁾ et cum Livia Augusta familiaritate conjuncta fuisse videtur¹⁴⁾. Eadem qua patrem colebat amoris cura et caritate liberos suos amplectebatur. Non diu matrimonii fortuna ei affulsisse videtur; maritus enim haud dubie mature mortuus est, quod e Seneca concludas, qui eum filium pupillum reliquisse tradit¹⁵⁾. Liberis non modo Marcia sed nepotibus etiam gavisus est¹⁶⁾, de quorum vita nihil traditum

11) Gentis Metiliae mentio fit inde ab a. 338—909 u. c. (415 a. Chr. — 157 p. Chr.). cf. Liv. IV. 48. Fast. a. 909; etiam in inscriptionibus apud Gruterum et Muratorium ea saepius redit. Tempori, quo Metilius noster vixit, proximi sunt M. Metilius cum L. Annaeo munere aedilicio functus a. u. 723 = 30 a Chr. et P. Metilius Consul suff. a. u. 843—91 p. Chr. Domitiano imperante, quorum neuter cum nostro confundi potest. Gens erat plebeja, nam usque ad a. u. 537—216 a. Chr. plures memorantur tribuni plebis ex ea oriundi. cf. Glundorp. Onomast. p. 603 sq. *Recht-Encyclopädie v. Metilia gens.*

12) Plura e Seneca non erues. Marciam illustrem fuisse feminam, etsi incertum sit, utrum a patre jam acceperit nobilitatem, an demum in matrimonium ducta, sit nobilitata (cf. Heldium p. 5), Seneca nullo loco perhibet.

13) Seneca XXIV. 2. Ut (Metilius) puer admodum dignus sacerdotio videretur, materna sine dubio suffragatione.

14) Seneca IV. 1. Juliae [Liviae] Augustae, quam familiariter cohusti.

15) Seneca XXIV. 1. „Pupillus relictus.“ His verbis contradicere videntur, quae afferuntur ab eodem c. XVII. 1. „Grave est tamen, quem educaveris juvenem, jam matri, jam patri praesidium ac decus amittere,“ et sub finem ejusdem cap. XVII. 5. „Tu si filios sustuleris, poteris habere formosos, et deformes poteris fortasse. Multi nascentur: esse aliquis ex illis tum servator patriae quam proditor poterit.“ Cum vero in tota consolatione patris mentionem omnino non faciat Seneca, nec dubitandum sit, quin tum jam mortuus fuerit, illa verba aut latiore sensu sumenda sunt, aut ad alterum matrimonium spectant, a Marcia fortasse posthac initum.

16) Quatuor liberos peperit Marcia, duos filios totidemque filias. Alter filius mature vita decessisse videtur, puer adhuc vel adolescens, cum morte alterum antecederet; alter Metilius uxorem duxit et, cum ineunte aetate diem obiit, duas reliquit filias. Utraque Marciae filia, tempore quo pater obiit adhuc in vivis, ut videtur, nupserunt et liberos sustulerunt. Seneca c. XVI. 4. 5. 6. Quatuor liberos sustuleras. Non tantum filios eripuit, sed elegit. — Respice duos filios — Duas tibi reliquit filias et harum nepotes — Respice tot nepotes.

est, excepto filio Metilio, quem Seneca dicit fuisse rarissimae formae, egregiae sanctitatis morum et excellentis ingenii. Matrem filiumque eodem Seneca teste scimus tenerrimo amore se invicem amplexos¹⁷⁾ nec non filium morte praematura matri ereptum esse¹⁸⁾. Ut Marcia patris mortem graviter lugebat, sic etiam mater sortem amatissimi filii, quam nullo modo oblivisci posset, tantopere maerebat, ut dolore cruciaretur triennio post filium amissum. Ut dolorem ejus aliqua ex parte molliret, Seneca philosophus, et patri et filiae amicissimus, consolationem scripsit, qua utrique monumentum posuit pulcherrimum¹⁹⁾.

17) Pupillus relictus sub tutorum cura usque ad quartum decimum annum fuit, sub matris tutela semper — Adolescens rarissimae formae, in magna mulierum turba viros corrumpentium nullius spei se praebuit et cum quarundam ad temptandum pervenisset improbitas, erubuit, quasi peccasset, quod placuerat — Sub oculis matris studia formavit, excellentis ingenii et aequaturi avum, nisi obstitisset verecundia. Seneca c. XXIV. 1. 2. Matris amore tali modo tenebatur, ut militiam recusaret, ne matrem desereret et quamvis haberet suos penates, matris domum relinquere nollet. c. XXIV. 1. Sanctitate morum effectit, ut puer admodum dignus sacerdotio videretur. c. XXIV. 2. Divitias sibi comparasse sine avaritia, ad honores enisum esse sine ambitione, voluptates appetivisse sine luxuria, dicit Seneca c. XXIII. 2. Juvenis cito prudens, cito pius, cito maritus, cito pater, cito omnis officii curiosus, cito sacerdos, omnia tamquam praepropera [prospera, tam prospera] c. XII, 3. —

18) Ineunte cap. XXVI. Consol. in editionibus plerisque haec leguntur verba: „In taedium versus vitae, ipse (Metilius) ad majores se recepit.“ Unde concludas, Metilium ipsum mortem sibi concevisse. Id vero cum toto tenore consolationis non consentaneum est, in qua aliquid simile non modo non innuitur, verum etiam Metilius proponitur omnibus iis, quae ad bene beateque vivendum necessaria sunt, abundans. Quod manum sibi intulerit, refellitur etiam c. XX. 10. 11. „Vixit enim, quantum debuit vivere.“ — „Non est interrupta ejus vita.“ Quibuscum cf. c. XXII. 2 verba: „Voluntario — recepit.“ Ad quod accedit, quod locus supra laudatus valde corruptus est; nam in Codd. verba: „In taedium versus vitae, ipse“ aut omnino non adsunt, aut aliae lectiones exhibentur. Qua de re cf. Lipsium (L. Ann. Senecae opera, Lipsii, Gronovii cet. comment. illustrata. Amstelod. 1673). Ruhkopfium et Fickertum ad hunc locum. Fickertus ita restituit locum: „Quod integra domus statu, integra te ipsa ad majores se recepit suos.“

19) Opera v. v. d. d. Heidebreede (Consol. ad Marciam. 1839) et Michaelis (Senecae Consol. ad Marciam. 1840.), quae mihi fortasse usui fuissent, ad manus non erant.

Num et Cordi senectus gavisiva fuerit liberis et nepotibus nescimus, nisi illud inde concludamus, quod jam senex fere mortuus est. Sed nescimus qua aetate fuerit Marcia filia cum pater mortuus est, num jam nupserit, num filius Metilius jam natus fuerit nec ne cet. Tantummodo si sumpserimus, Cordum mediis vitae annis uxorem duxisse et Marciam iisdem annis nupsisse, persuasum habere poterimus, Cordo jam nepotes fuisse, cum sexaginta fere annos natus mortem sibi conscivit. Melius hac de re judicare licebit, tempore accuratius constituto, quo Senecae consolatio scripta fuerit, quod tertio anno post Metilii mortem factum esse constat. Si, quod a veritate abhorre non videtur²⁰⁾, anno circiter L p. Chr. n. scripta est, opinio illa confirmatur. Illo enim tempore Marcia jam nepotes habuit, pater igitur mortis tempore, h. e. viginti quinque annis ante, nepotes quoque habuisse putandus est.

DE CAUSA IN CREMUTIIUM CORDUM ACTA ET DE ULTIMA EJUS SORTE.

Cremutius Cordus, aetate jam proventus et integer vitae et animi, in jus vocatus est¹⁾, Marco Asinio M. f. Agrippa II. et Cosso Cornelio Cossi f. Lentulo Coss., anno p. Chr. n. XXV²⁾.

20) Consolationem ad Marciam imperantibus Tiberio et Cajo edi non potuisse, nec prius quam Claudio regnante et sine dubio post Senecae exsilium scriptam esse Lipsius docuit l. l. T. I. p. 240. Vix igitur ante annum L. p. Chr. n. composita est, fortasse paulo serius, sub finem imperii Claudii sive ineunte imperio Neronis, cf. Baehrius l. l. II. p. 457 (ubi legas: „am Ende des Claudius oder zu Anfang der Regierung des Nero“).

1) Dio. LVII. 24. *Ὅτω γὰρ οὐδὲν ἐγκλημα ἐπαίτιον λαβεῖν ἠδυνήθη (καὶ γὰρ — ἐπιεικέστατα ἐβεβίωκει).*

2) Tac. Ann. IV. 34. Cornelio Cosso Asinio Agrippa Coss. Cremutius Cordus postulat. Dio. LVII. 24. *Διελθόντων δὲ τῶν δέκα ἐτῶν τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ (Tiberii) — Κρεμούτιος Κόρδος ἀτόχειρ ἑαυτοῦ γενέσθαι — ἠναγκάθη.* Eusebii Chron. interprete Hieronymo (Scaligeri Thes. temp. 1658), p. 202. 263. Ol. 201. 1. a. Chr. 26. *ΥΠ. ΑΓΡΗΠΠΗ ΤΟ Β ΚΑΙ ΑΕΝΤΟΥΛΟΥ.* Baier: Fasti consulares triumphalesque Roman.

Accusandi materiam praebuit libertas ejus animusque reipublicae amantissimus, quo ductus jugum ferreum civibus a Sejano impositum cervice servili subire noluit, interitum reipublicae aegerrime ferens nec sibi temperans, quin indignationem prae se ferret atque expromeret³⁾. Non enim dubitavit Cordus, quin majore civium amore erga patriam respublica sustentari potuisset. Amicus igitur nec imperii, nec Imperatorum esse potuit. Tantum vero abfuit, ut rerum statui, qui tum erat, reniteretur, ne dicam reluctaretur, ut potius legibus parentem atque obedientem se praestaret et, probissimis quibusque carissimus, tacitam degeret vitam atque quietam. Populum senatumque quidem vituperavit, de Caesare vero et Augusto nec in bonam neque in malam partem quidquam protulit⁴⁾. Hic Cordi animus Sejano sufficientem praebuit materiam suspicionis et accusationis. Litem ei intendebat, insimulans eum novas res molientem imperii esse adversarium⁵⁾. Mox eum persecuti sunt sordidi iidemque acerrimi Sejani satellites⁶⁾; Satrius Secundus, Sejani sodalis, famosus ille delator, qui postea dominum ipsum calamitate oppressum prodidisse et accusatoris partes suscepisse videtur⁷⁾, et Pinarius Natta⁸⁾, Sejani

(Onomast. Tullian. in Orellii Ed. Ciceronis T. III. 1837). 777 u. c. 25 p. Chr. n. M. Asinius M. f. Agrippa. Cossus Cornelius Cossi f. Cn. n. Lentulus. De discrepantia quae exstat inter annum XXV. recentiorum et XXVI. Eusebii cf. Ideler: Handbuch der Chronologie. II. 1826. p. 465 sqq. Die Kirchenväter — fingen die Olympiaden fast um 2 Jahre zu früh an. So Eusebius in seinem Chronicon und sein Uebersetzer Hieronymus.

3) Dio. LVII. 24. *Ὅτι τῷ Σηιανῶ προσέκρουσεν*. Seneca Consol. XXII. 2. cf. quae p. 18 a nobis prolata sunt.

4) Dio. l. l.

5) Cf. Beckerum apud Erfch u. Gruber. Heldium p. 10.

6) Seneca XXII. 3. Acerrimi canes, quos ille (Sejanus), ut sibi uni mansuetos, omnibus ferros haberet, sanguine humano pascebat, circumlatrare hominem et illum [etiam] imperatum incipiunt.

7) Satrii Secundi Tac. Ann. VI. 8 quoque mentionem facit et Ann. VI. 47 conjurationis indicem eundem vocat.

8) Pinarii fuerunt gens veterrima nobilisque et Nattae quoque,

clientes⁹⁾, eum postulant. Accusatur, Tacito auctore, quod in annalibus suis M. Brutum laudasset, Gajum Cassium Romanorum ultimum dixisset¹⁰⁾; Dione addente: *„τοῦ δήμου τῆς τε βουλῆς καθήψατο τόντε Κάισαρα καὶ τὸν Ἀύγουστον εἶπε μὲν κακὸν οὐδέν, οὐ μέντοι καὶ ὑπερσεμένυνε ταῦτά τε γὰρ ἤτιάθη καὶ διὰ ταῦτα αὐτὸς τε ἀπέθανε καὶ τὰ συγγράμματα αὐτοῦ — ἐκάνθη“*. Suetonio tamen teste annales ejus coram Augusto recitati et ab hoc probati sunt, Dione teste Augustus ipse illos legit¹¹⁾. Novum ac tunc primum auditum vocat Tacitus crimen illud, cujus insimulatus erat Cordus, quod nimirum rempublicam laudibus extulisset. Truci vultu (Tacitus l. l.) Imperator accepit defensionem, quam Cremutius, relinquendae vitae certus, in hunc modum exorsus est. Summam enim orationis nobis a Tacito traditam, cum optime ex ea cognoscatur et animus et ingenium viri, h. l. integram transcribimus: *„Verba mea, patres conscripti, arguuntur; adeo factorum innocens sum. Sed neque haec in principem aut principis parentem, quos lex majestatis amplectitur. Brutum et Cassium laudavisse dicor, quorum res gestas cum plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit. Titus Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus in primis, Cn. Pompejum tantis laudibus tulit ut Pompejanum*

ab hac gente oriundi, saepius commemorantur. Noster Pinarius Natta fortasse ille aequalis poetae Julii Montani fuit, quem regnante Tiberio deridebat facete dicto, a Seneca Ep. 22 (T. IV. pag. 135 Ed. Brp.) allato, cf. Βαυτή l. l. v. Pinarii.

9) Tac. Ann. IV. 34. Accusabant Satrius Secundus et Pinarius Natta, Sejani clientes. Seneca XXII. 2. Propone illud acerbissimum tibi tempus, quo Sejanus patrem tuum clienti suo Satrio Secundo congiarium dedit.

10) Hoc quidem Bruti ipsius elogium fuit de Cassio jam mortuo, publiceque dixit: *ἔσχατον ἄνδρα Ῥωμαίων τὸν Κάσσιον*. Plut. in Bruto c. XLIV. Inde ergo magnificam eam vocem Cremutius sumpsit. Lips. — Dio l. l. *Ὅτι τὸν τε Κάσσιον καὶ τὸν Βροῦτον ἐπήνεσε*. Huc procul dubio spectant Suetonii quoque verba in Tib. 61: *„Objectum est historico, quod Brutum Cassiumque ultimos Romanorum dixisset“*. Quae minus accurata sunt quam Taciti.

11) Cf. p. 16.

eum Augustus appellaret; neque id amicitiae eorum offecit. Scipionem Africanum, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum nusquam latrones et parricidas, quae nunc vocabula imponuntur, saepe ut insignis viros nominat. Asinii Pollionis scripta egregiam eorundem memoriam tradunt; Messalla Corvinus imperatorem suum Cassium praedicabat: et uterque opibusque atque honoribus perviguere. Marci Ciceronis libro quo Catonem caelo aequavit, quid aliud dictator Caesar quam scripta oratione, velut apud iudices, respondit? Antonii epistolae, Bruti contiones falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent; carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur. Sed ipse divus Julius, ipse divus Augustus et tulere ista et reliquere, haud facile dixerim, moderatione magis an sapientia. Namque spreta exolescant: si irascere, agnita videntur. Non attingo Graecos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita; aut si quis advertit, dictis dicta ultus est. Sed maxime solutum et sine obtreptione fuit prodere de iis quos mors odio aut gratiae exemisset. Num cum armatis Cassio et Bruto, ac Philippenses campos obtinentibus, belli civilis causa, populum per contiones incendo? An illi quidem septuagesimum ante annum perempti, quomodo imaginibus suis noscuntur, quos ne victor quidem abolevit, sic partem memoriae apud scriptores retinent? Suum cuique decus posteritas rependit; nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassii et Bruti sed etiam mei meminissent.

Cordi defensio iudices perturbasse videtur, non e vestigio damnatur (sententia fortasse omnino non pronuntiata est), plures dies praeterlabuntur re non dijudicata¹²⁾. „Accusatores, Sejano auctore, adeunt Consulium tribunalia. Queruntur mori Cordum, interpellantes [ut interpellarent] quod coegerant. Adeo illis Cordus videbatur effugere. Magna res erat in quaestione, an morte rei perderentur. Dum deliberatur, dum accusatores

12) Seneca XXII. 4.

iterum adeunt, ille se absolverat¹³⁾. Tacitus ex more suo paucissimis refert: „Egrediens dein senatu vitam abstinentia finivit“; apud Dionem vero leguntur: „Κρεμόντιος Κόρδος ἀντόχεις ἑαυτοῦ γενέσθαι — ἠναγκάσθη“ et paulo infra: „καὶ διὰ ταῦτα αὐτὸς ἀπέθανε“¹⁴⁾. Accuratius et ad vividum fere mortem Cordi his verbis Seneca¹⁵⁾ describit: „Mortem A. Cremutii Cordi, parentis tui, quantum poteras, inhibuisti. Postquam tibi aperuit, inter Sejanianos satellites illam unam patere servitutis fugam, non favisti consilio ejus, sed dedisti manus vieta, fudistique lacrimas palam et gemitus devorasti quidem, nec tamen hilari fronte textisti et hoc illo seculo, quo magna pietas erat nihil impie facere.“ Et alio loco¹⁶⁾: Quod faceret? Si vivere vellet, Sejanus rogandus erat, si mori, filia, uterque inexorabilis. Constituit filiam fallere. Usus itaque balneo, et quo plus virium poneret, in cubiculum se quasi gustaturus contulit¹⁷⁾ et dimissis pueris quaedam per fenestram, ut videretur edisse, projecit. A coena deinde, quasi jam satis in cubiculo edisset, abstinuit. Altero quoque die et tertio idem fecit. Quartus ipse infirmitate corporis faciebat indicium. Complexus itaque te, *Carissima*, inquit, *filia, et hoc unum tota celata vita iter mortis ingressus sum et jam medium fere teneo*¹⁸⁾. *Revocare me nec debes nec potes.*

13) Seneca XXII. 5. 6.

14) Dionis verba: „ἀντόχεις ἑαυτοῦ γενέσθαι ἠναγκάσθη“ non discrepant a Tacito et Seneca, sunt enim sumenda sensu latiore, nec aliud quidquam sibi volunt, nisi Cordum ipsum mortem sibi conscivisse.

15) l. l. c. I. 2.

16) l. l. c. XXII. 4. 5. 6.

17) Cf. Gronovium, Ruhkopffium et Fickertum ad hunc locum. Fortasse legendum cum Heldio pag. 12: Usus itaque balneo *est*, quo plus virium poneret, *et* in cubiculum se quasi gustaturus contulit.

18) Lipsius, respiciens Plinii locum N. H. XI. 118 (XI. 283 Sillig) „homini non ante septimum diem letalem inedia esse, durasse et ultra undecimum plerosque certum esse,“ Cordum putat, ratione habita eorum, quae a rerum naturalium investigatoribus observata sint, dicere voluisse, se mediam mortis viam jam ingressum esse. Recte vero Ruhkopffius annotat, non opus esse, ut ad observationes naturae curiosorum hic respiciatur, sed ad sensum Cordi, quippe qui animadverteret, sibi non magnum vivendi spatium superesse.

Atque ita jussit lumen omne praecludi et se in tenebras condidit. Cognito consilio ejus publica voluptas erat, quod a faucibus avidissimorum luporum educeretur praeda. Accusatores — adeunt consulum tribunalia, — dum deliberatur, dum accusatores iterum adeunt, ille se absolverat¹⁹⁾.

Cum igitur Cordus ex inimicorum manibus evasisset, persequerentur ejus scripta. Libros per aediles cremandos censuere patres, ait Tacitus²⁰⁾, uberius in dicendo Dio²¹⁾, libros ejus, tunc in urbe ipsa deprehensos, per aediles, extra urbem vero dispersos per singulorum locorum magistratus combustos esse; eos abditos Suetonius quoque perhibet²²⁾. Nihil secius manserunt Tacito et Dione testibus occultati et editi. Eos cum ab aliis, tum a Marcia filia occultatos fuisse, Dio, a Marcia filia editos Seneca confirmat, his verbis Marciam allocutus²³⁾: „Ut vero aliquam occasionem mutatio temporum dedit, ingenium patris tui, de quo sumtum erat supplicium, in visum [usum] hominum reduxisti et a vera illum vindicasti morte, ac restituisti in publica monumenta libros, quos vir ille fortissimus sanguine suo scripserat“, spectans Caligulae tempora, qui cum T. Labieni et Cassii Severi scriptis et Cordi scripta requiri et esse in manibus lectitarique permisit²⁴⁾, quod factum esse videtur primo Imperatoris anno, p. Chr. a. XXXVII.

19) Si Baumgartenius (*Allgemeine Weltgeschichte*. XII. p. 336) atque Tillemontius l. l. I. p. 84 praeter Tacitum, Senecam et Dionem etiam Cassiodorum et Chron. Alex. (Paschale) p. 492. annumerant fontibus, ex quibus quae ad causam et mortem Cordi pertineant hauriri possint, causam non perspicio, nisi tempus definiendum respexerint, cum in Chron. Paschali soli anni consulum nominibus additis reperiantur, in brevissimo vero Cassiodori Chron. sola consulum nomina nulla annorum ratione habita posita sint.

20) Ann. IV. 35.

21) LVII. 24.

22) Tib. 61.

23) Consol. I. 3.

24) Suet. Calig. 16.

DE SCRIPTIS A. CREMUTII CORDI.

Funestam intempestivamque mortem et abolitionem scriptorum Cordi effecisse, ut eo magis memoria ejus posteris traderetur, jam Dio monet et idem profert Tacitus, narrationem suam de causa in eum acta his verbis memoria dignissimis concludens: „Quo magis socordiam eorum irridere libet, qui praesenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis aevi memoriam. Nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas; neque aliud externi reges, aut qui eadem saevitia usi sunt, nisi dedecus sibi atque illis gloriam peperere.“ Cum Cordi scripta injuria temporum omnino fere deperdita sint, mirum esse non potest, quod de iis perpauca tantum proferre liceat. Nos quantum e veterum auctorum scriptis parvulisque Cordi ipsius fragmentis colligi potest, componere et adumbrare conabimur.

Primum quaeritur, quatenus fuerint opera a Cordo nostro composita. Seneca et Suetonius¹⁾ summam tantum de libris sive scriptis loquuntur, Dio de historia ejus²⁾, Tacitum solum auctorem habemus, eum annales composuisse³⁾, opus nimirum per annorum seriem digestum nec nisi summa cum cura et diligentia absolvendum. Cujusnam argumenti fuerint et quodnam tempus amplexi sint, non constat, nec magis fuerintne copiosi necne, quotque libris circumscripti. Annales illos historiam bellorum civilium continuisse, ut Vossius dicit⁴⁾, quem fortasse secutus est Gerlachius⁵⁾, nullo testimonio confirmatur. E Senecae verbis (consol. XXVII. 1): „non illo ingenio, quo civilia

1) Senecae consol. I. 3. Libros, quos — scripserat. Suet. Tib. 61. Scripta abolita.

2) LVII. 24. *Ἱστορία, ἣν — συνετέθεικε.*

3) Ann. IV. 34. Editis annalibus.

4) De hist. Lat. p. 112. Condidit historiam bellorum civilium et res gestas Augusti. Heldius p. 6 non recte putat, Vossium de duobus Cordi operibus locutum esse; Vossius unum tantum opus respicit, continens et bella civilia et res gestas Augusti.

5) Die Geschichtschreiber der Römer. p. 192.

bella deflevit, quo proscribentes in aeternum ipse proscripsit“ temere Heldius (p. 9) argumentum hausisse mihi videtur, concludens Cordum de bellis civilibus scripsisse; Cordus enim bella quidem civilia deflere et proscribentes in aeternum ipse proscribere potuit, nulla mentione istorum bellorum facta. Nec magis compertum haberi potest, Cordi annales bella civilia inde a Caesare occiso tractasse, quod voluerunt Fr. Ritterus ⁶⁾ et Nipperdeius ⁷⁾, nec, in illis res gestas commemoratas esse a triumviratu Caesaris, Pompeji et Crassii, quod quidem Heldio (p. 9) placuit. Tantum hoc cognitum perspectumque habere possumus, Cordum in annalibus de vita Augusti egisse ⁸⁾. Coniungere quidem licet, civilium quoque bellorum tempora amplexos esse; Caesaris enim et Bruti Cassiique mentionem fecerunt ⁹⁾, nec minus mortis Ciceronis ¹⁰⁾, quamquam nihil impedit, quominus in historia Augusti scribenda, occasione oblata, eorum quoque meminerit. Tiberii historiam Cordum non tetigisse concludi potest cum ex omnibus iis, quae de eo memoriae prodita sunt, tum e verbis ipsius defensionis insertis: „Sed maxime solutum et sine obtreptione fuit prodere de iis, quos mors odio aut gratiae exemisset“ ¹¹⁾. Tantum si Cordi verba, quibus apud Senecam post mortem de coelo filiam alloquitur: „Juvabat unius me seculi facta componere“ ¹²⁾ sensu strictiore accipiuntur, con-

6) Ad Tac. Ann. IV. 34. Philologus VI. 4 (1851) p. 752.

7) Philologus VI. 1 (1851), p. 140.

8) Dio. LVII. 24. *Τῆ ἱστορίᾳ, ἣν — περὶ τῶν τῷ Ἀβγούστῳ πραχθέντων συνετεθείκει.*

9) Tac. Ann. IV. 34. Suet. Tib. 61. Dio. LVII. 24.

10) M. Ann. Senecae Suas. VII (al. VI) p. 39 sqq. Bd. Bip. VI. 19. 23. pag. 34. 35 sq. Bursiani.

11) Cf. Heldium pag. 5. 6.

12) Consol. XXVI. 4. Verba quae adduntur „in ultima parte mundi et inter paucissimos gesta“, collata cum iis, quae sequuntur: „tot secula, tot aetatum contextum et seriem, quicquid annorum est, licet visere“ et cum iis, quae leguntur c. XX. 9: „terram hanc cum urbibus populisque et fluminibus et ambitu maris puncti loco ponimus, ad universa referentes: minorem portionem aetas nostra quam puncti habet, si omni tempori comparetur“

tendi potest, annales Cordi amplexos esse bella civilia fere inde a primo triumviratu usque ad ultima Augusti tempora. Sed sensus illorum verborum mihi nimis late patere videtur, quare vix crediderim annales Cordi certis finibus circumscribi posse.

Opus suum Cordus haud dubie sub imperio Augusti scripsit aut saltem ad finem adduxit; nam vitam Imperatoris amplexum esse traditur ¹³⁾. Quo vero tempore imperii Augusti illud exorsus sit, quo finiverit, non constat, quam ob rem, ut de termino a quo, ita etiam de termino ad quem filium historicum deduxerit, nihil certi definiri potest. Verisimile tamen est, sub finem vitae Augusti scriptos esse annales; Suetonio enim teste „aliquot ante annos“ (ante causam et mortem Cordi) Augusto audiente recitati sunt ¹⁴⁾. Operis vero Cordiani serioribus temporibus non nisi editionem castigatam lectam esse filiamque Marciam annales patris, deletis omnibus locis, qui offendere possent, in lucem revocandos curasse, quod Ritterus opinatur ¹⁵⁾, equidem in dubio posuerim. Marcia, patris amatissima, cui memoria patris erat sanctissima, quae eodem flagrabat libertatis ei reipublicae amore, quo inclaruerat pater, opus patrum non nisi integrum in lucem denuo proferendum curare, nec ullo modo permittere, multo minus efficere potuit, ut castigando aut obliterando operis ingenium et indoles deleteretur ¹⁶⁾. Senecae verba, Marciam spectantia (consol. I. 3): „optime (meruisti)

significare videntur, orbem terrarum et genus humanum (de quibus egerat Cordus) minimam partem totius mundi et seculum unum (cujus historiam tractaverat) non nisi minimam temporis spatium amplecti, si comparentur cum aeternitate. Fortasse v. v.: „ultima parte“ innuit, orbem Romanum ortum solis respicienti maximam partem occidentem versus situm esse. Aliter Ruhkopffius ad nostrum locum.

13) Dio. LVII. 24.

14) Suet. l. l. cf. Dio. l. l.: „ἱστορία, ἣν πάλαι πότε περὶ τῶν τῷ Ἀβγούστῳ πραχθέντων συνετεθείκει.“

15) Philologus VI. 4. p. 752—54. Die giftige und entgiftete Ausgabe der Annalen des Cremutius Cordus.

16) Cf. Osanni annot. crit. in Quint. inst. orat. L. X. Particula VI (in libello, quo invitatur civis Acad. Ludoviciana ad celebrandum diem sacrum ab S. Ludovici nomine nuncupatum). Gissae. 1858. p. 7. 8. not. 13.

de posteris, ad quos veniet *incorrupta* rerum fides“, non ad Marciam, quae edidit paternum opus, sed ad patrem rerum scriptorem referenda sunt. De circumcissione sive castigatione operis, quam Cordus ipse exhibuerit, sermo esse non potest, cum non ignoremus, eum de libertate annalium accusatum mortem subiisse. C. Fr. Weberus, respiciens Quintiliani locum X. 1. 104.¹⁷⁾, assentiente Osanno¹⁸⁾, protulit conjecturam, epitomen annalium Cordi, ab amatoribus ejus factam, serioribus temporibus lectam esse. Ut orationes et declamationes excerptae et in breve coactae sint, cujusmodi epitomae in controversiis M. Annaei Senecae et in Quintiliani declamationibus supersint, ita etiam libri historici. Relegat in J. Florum, qui epitomarum T. Livii duos libros conscripsit, in Justinum, Trogi Pompeji epitomatores, et in Julium Paridem atque Januarium Nepotianum, Valerii Maximi epitomatores, qui ad inferiorem latinitatis aetatem pertinent. His addi possunt Fenestellae epitomarum libri, a Diomede laudati¹⁹⁾. Quamquam de Cordi annalium epitome nihil traditum est, nihil impedit, quin praeter integros annales epitome quoque exstiterit; num vero ex illo Quintiliani loco hoc erui possit, equidem in dubio posuerim (cf. infra).

Cordum praeter annales alios libros composuisse nusquam perhibetur. Ex iis, quae de eo tradita sunt, nihil certi investigari potest. Suetonius quidem bis loquitur de Cordi *scriptis*, et abolitis Tiberio regnante, et restitutis sub Caligula; sed cum utroque loco non de solis Cordi scriptis verba facta sint, inde ex eo nihil concludas. Etiam Tacitus *annales* quidem Cordum edidisse, postea vero *libros* ejus concrematos esse dicit. Eum hoc loco nihil aliud nisi annales illos in animo habuisse, verisimile quidem est, non vero certum. Num Senecae verba:

17) (C. Fr. Weber) Quintiliani locus (X. 1. 104) emendatur et illustratur. (Indices lectionum Acad. Marburgensis per semestre hibernum 18^{33/4}, habendorum.) p. IX. X.

18) l. l. p. 7.

19) Gramm. Lat. auctores antiqui. Ed. Putsch. 1605. p. 361. Vossii hist. Lat. p. 100. Mercklin: de Fenestella. 1844. p. 5 sq. Poeth: de Fenestella. 1849. p. 15 sq.

„*libros* — quos scripsit“ de pluribus operibus a Cordo compositis intelligenda sint, non satis liquet. Dio primum utitur verbis: „*ἱστορίαι, ἣν — συνετεθείκει*“, paulo post vero addit: „*καὶ τὰ συγγράμματα αὐτοῦ, τότε μὲν ἐν τῇ πόλει εὐρεθέντα πρὸς τῶν ἀγορανόμων, καὶ τὰ ἔξω πρὸς τῶν ἐκασταχόθι ἀρχόντων ἐκαύθη*“. Verbum *σύγγραμμα* quidem opus, quod quis conscripsit, significat²⁰⁾ et Dio ipse hoc sensu eo utitur (LIII. 9 de Sallustio: „*τοιαῦτα συγγράμματα συγγράψας*. LX. 35. *Συνέθηκε μὲν γὰρ καὶ ὁ Σενέκας σύγγραμμα, ἀποκολοκύντωσιν αὐτὸ — ὀνομάσας* cet.); cum vero non minus de singulis libris intelligatur, ex eo nihil colligi potest. In iis quae leguntur in Senecae consol. I. 3: „*Restituisti in publica monumenta libros*, quos vir ille fortissimus sanguine suo scripserat. Optime meruisti de Romanis studiis: *magna illorum pars arserat*“, non solum inusitate dictum, studia Romana arsisse, sed etiam non accurate, cum eo tempore, quo scriberetur illa consolatio (c. anno L p. Chr. n., ut vidimus), dici non posset, magnam partem librorum Romanorum concrematam esse. Quare vix est quin credas, verba *magna illorum pars arserat* referenda esse ad *libros*. Sic rem intellexerunt Weberus²¹⁾ et Ruhkopfius²²⁾, quibus praeceuntibus facile credideris, magnam partem scriptorum Cordi combustam esse, non omnia, eumque igitur praeter annales alios etiam libros conscripsisse. Sed contextu verborum sequentium cogimur, verba *magna illorum pars* conjungere cum *Romanis studiis*. Quare neque ex hoc loco argumentum colligi potest quod inseruiat pluribus Cordi operibus statuendis. — Plinius in H. N. et in indice L. VII Cordum inter auctores, e quibus hauserit, nominat, et L. X. 26. XVI. 26. duos ejus affert locos de rebus ad rerum

20) Stephani Thes. Graecae linguae (Ed. Hase et Dindorf. Paris. 1842—47) v. *σύγγραμμα*.

21) l. l. p. VIII.

22) *Magna illorum pars arserat* = multi horum librorum desiderio tenebantur. Nimis artificiosa haec Ruhkopfi interpretatio mihi esse videtur. Dubito etiam, num hoc ex indole linguae latinae dictum sit. Equidem verbum *ardere* cum genitivo conjunctum nullo loco reperi.

naturam spectantibus. Hac ratione motus fortasse conjicias, Cordum praeter annales aliud opus composuisse, ex quo notitias Plinius desumpserit. Sed si reputas, Plinium in opere suo, quamquam majore ex parte rerum naturam tractante, de rebus diversissimis agere, si in memoriam tibi revocas quae refert de avunculi studiis Plinius minor (cf. Ep. III. 5. § 10. 11. § 4. 6), unde perspicuum, quanta fuerit copia librorum quos legerit et excerpserit, si eundem Plinium in ejusdem L. VII elencho praeter Cordum alios quoque historicos, ut Cornelium Nepotem, Livium, Trogum nominare vides, si denique perpendis, annalium scriptores non solum rerum gestarum seriem accurate perscripsisse, sed saepius varias etiam notitias narrationi suae intexuisse, — etiam e Plinio nihil certi de alio opere a Cordo conscripto praeter annales colligas.

De ingenio et indole annalium Cordi aptior disserendi locus erit, si scriptorum ejus reliquias proposuerimus.

DE FRAGMENTIS SCRIPTORUM CORDI.

Perpaucae tantum particulae scriptorum Cordi, eaeque magna ex parte parvi aestimandae, injuriam temporum effugerunt, quas aliorum auctorum scriptis insertas invenimus. Utrum omnes loci a nobis proferendi re vera ipsa Cordi verba, an forte notitias ex eo desumptas contineant, non liquet; unum vero fragmentum, quod ambitu ceteris antecellens apud M. Senecam legitur, ipsa Cordi verba referre crediderim.

Apud M. Annaeum Senecam tria reperiuntur fragmenta in Suas. VI (al. VII).

1) P. 39 sq. Bip. VI. 19. p. 34. Bursian.: „**Cremutius Cordus** et ipse ait, Ciceroni [Ciceronem], cum dubitasset [cogitasset], Marcumne [utrumne] Brutum, an Cassium, an Sextum Pompejum peteret, omnia illi displicuisse praeter mortem.“

2) P. 40. VI. 19. p. 34. „**Cremutii Cordi**. Quibus visis laetus Antonius, cum peractam proscriptionem suam dixisset esse, quippe non satiatum modo caedendis civibus, sed defectus

[differtus Burs.] quoque, jussit pro rostris exponi. Itaque quo saepius ille ingenti circumfusus turba processerat, quae paulo ante coluerat piis concionibus, quibus multorum capita servaverat, tum per artus suos latus [laetus Bip.] aliter ac solitus erat, a civibus suis conspectus est, praetendenti [praependenti Burs.] capiti orique ejus impensa [inspersa Burs.] sanie, brevi ante princeps senatus Romanique nominis titulus, tum pretium intersectoris sui. Praecipue tamen solvit pectora omnium in lacrimas gemitusque visa ad caput ejus deligata manus dextera, divinae eloquentiae ministra; ceterorumque caedes privatos luctus excitaverunt, illa una communem.“

3) P. 41 sq. VI. 23. p. 35 sq. „**Cremutii Cordi** non est operae deferre [referre] etiam redditam Ciceroni laudationem. Nihil enim in ipsa Cicerone dignum est ac ne hoc quidem, quod paene maximum est, tolerabile est [quod paene maxime tolerabile est Burs.]. **Cremutii Cordi**. Privatas [proprias] enim similitates deponendas interdum putabat, publicas nunquam. Vides credendam civis [Grut. et Palat., Burs. e Bruxell.; al. ejus] non solum magnitudinem [Grut. e Palat. magnitudine] virtutum, sed multitudinem [Grut. e Palat. multitudine] quoque conspiciendam [Schott. conspiciendus, idem Burs. e Bruxell.].“

Hi loci laudati sine dubio pertinent ad partem annalium Cordi, qua memoriae traditae sunt triumvirorum proscriptiones et mors Ciceronis, in qua enarranda insignis ille orator summis effertur laudibus.

Perlustremus singulos locos.

Primo loco olim legebatur: „Ciceronem, cum cogitasset, utrumne Brutum cet.“ Gronovius emendavit: „Ciceroni, cum dubitasset, Marcumne Brutum cet.“ Jure quidem Gronov. emendavit Ciceroni, cum sequens displicuisse accusativum non admittat. Hanc lectionem novissimus quoque Senecae editor Bursianus²³⁾ recepit, quamquam Cod. Bruxell., quo nititur ejus

23) Annaei Senecae oratorum et rhetorum sententiae, divisiones, colores. Conr. Bursian recensuit et emendavit. 1857. Nititur Bursiani editio optimis ab eo collatis codicibus, imprimis Bruxellensi B., qui nono

recensio, *Ciceronem* exhibet. Idem v. d. recepit *illa* pro *illi*, quod exhibet Cod. Antwerp., praeterea *cogitasset*, *utrumne*. Quod attinet ad verba ultimo loco prolata, Gronovii emendatione supersedere possumus.

Hoc igitur loco docemur, Ciceronem, rebus desperatis, tantopere pertaesum esse vitae, ut mortem omnium maxime appeteret. Simillimis verbis in eadem Suasoria paulo supra Livius de Ciceronis animi affectione loquitur: „Taedium tandem eum et fugae et vitae cepit.“ Recte Heldius (p. 7) monuit, consilium Ciceronis innuere Plutarchum vit. Cic. c. 47. verbis: „Ἐγνώσαν (Cicero et Quintus frater) — ἐκεῖθεν — πλεῖν εἰς Μακεδονίαν πρὸς Βροῦτον — καὶ κατὰ τὴν ὁδὸν ἐφιστάμενοι — ἀλλήλοις προσωλογύροντο.

Locus secundus, cujus sensus in universum satis perspicere potest, in singulis tamen variis laborans difficultatibus, ab interpretibus multifariam vexatus est. Cum Senecae rhetoris scripta apparatu critico et commentariis parum instructa sint et inde a temporibus ultimae editionis criticae²⁴⁾ per duo fere secula, excepta Bipontina, quantum equidem scio, nulla publici juris facta sit, multae interpretationi occurrunt difficultates. Et quae nuperrime in lucem prodit Bursiani editio e Codd. optimis varietatem quidem lectionum, ad interpretationem textus perpauca, eorum locorum vero, de quibus hic agimus, quod dolendum, nihil affert. Pauca ad hunc locum adumbrandum Heldius (p. 7sq.) attulit; sed v. d. ipse confitetur, se codicum auxilio destitutum fuisse. — Jam initio loci Codd. valde differunt. Praeter lectionem allatam a nobis, quam exhibet ed. Amstelod., quamque recepit Bip., in pluribus Codd. (Aurelii, Veneto, Palatino Grut., aliis), ut nihil dicam de discrepantiis minoris momenti, haec leguntur: „Cum peractam proscriptionem suam

vel decimo, ut videtur, seculo scriptus, cum pluribus aliis ex eodem archetypo descriptus esse videtur.

24) M. Annaei Senecae Rhetoris opera, integris Fabri, Schotti, Gronovii et selectis Variorum commentariis illustrata. Accedunt Schultingii notae et emendationes. Amstelod. 1672.

dixisset, esset quippe non satiatum in [modo] caedendis civibus, sed defectus, quota quot sunt, per rostra exponit²⁵⁾; Bursiani vero editio exhibet: „Cum peractam suam proscriptionem dixisset esse, quippe non satiatum modo caedendis civibus, sed differtus quoque, jussit per rostra exponi“, quamquam in Bruxell. haec leguntur: „quodque sit per rostra [super rostra] exponit“. Lectio vulgaris, quaecum omnino fere congruit Bursiani, simplicissima esse videtur. Quamcunque admittes, sensus satis liquet. Post verba *jussit exponi* supplenda sunt: *caput dexteramque Ciceronis*, vel simile quiddam; hoc enim postulare videntur verba: *quibus visis*. — Loco *defectus* Schotto placuit *defessus*. Gronovius monuit, hac mutatione vim verborum minui, dicere enim velle Cordum: non superfuisse quos occideret, prius defecisse causam sanguinis quam illius crudelitatem. Hac emendatione nimia crudelitas Antonio imputata esse videtur; quare praetulerim *differtus*, quod e Bruxell. receptum exhibet Bursianus quodque satis bene quadrat. — Vocem *quo* rostra innuere, vocem *quibus* vero cum *concionibus* jungendam esse, jam Heldius monuit. — Difficultatem etiam praebent verba: *per artus suos latus (laetus)*. Bipontina habet *laetus* (qua auctoritate nixa, nescio), quod omni sensu caret. Heldius, qui hanc tantum ante oculos habuisse videtur, legi vult *laesos*, quod conjungit cum *artus*; *per artus* explicat: „quod attinet ad corporis membra“. Quis non videt, hoc inusitate dictum esse? Sed ed. Amstelod. exhibet lectionem *latus* (sine dubio ex auctoritate Codicum), eandem lectionem fert Bursiani editio e Cod. Bruxell. Hoc verbum igitur est recipiendum. In verbis: „Cicero conspectus est a civibus suis per artus suos latus“ *per artus* vix alio modo interpreteris, quam *articulatim*, ut similia: frustatim, particulatim, guttatim. Ergo: Cicero conspectus est a civibus suis, latus (pro rostris) articulatim, aliter ac solitus erat. Haud dubie inusitate dicta. Alteram Heldii emendationem, *longe* loco *laetus* (conjunctum cum *aliter*), quamvis rem bene exprimat,

25) Cf. Schultingii notas ad Suas. p. 47 sq.

pariter ac Schultingii *lacerus* praetermitto, quia nimis recedunt a Codd. lectionibus. — Loco *praetendenti*, quod in Bruxell. legisse sibi visus est, Bursianus legit *praependenti*. — Nec minus inusitate dictum *impensa sanie*. Verbum *impendere* enim nusquam significationem „über etwas hängen“ induere videtur, nisi in auxilium vocare velis poetarum usum, ut e. g. Lucretii VI. 490 sq. „Tum magnos montes tempestas atque tenebrae Cooperiant maria ac terras, impensa superne“. Quoniam verò lectio Cod. Bruxell. *inspensa* (sic enim Bursian. legendum censet) eodem modo corrumpi potuit ex *impensa*, quo ex *inspersa*, haec cum Bursiano recipienda esse videtur, cum sensum optimum praebeat. — *Titulus* jam Gronov. interpretatus est: elogium, Schottus melius etiam: decus, ornamentum; *pretium* idem: merces percussoris Popilii.

Itaque singulis perlustratis, si totum locum respexerimus, statuere licebit, Cordum haec fere perscripsisse „Antonius, peracta proscriptione, cum trucidati Ciceronis caput conspexisset, gaudio affectus, animo caede civium satiato, caput magni oratoris pro rostris exponi iussit. Conspectus est hic a civibus illo loco, quo saepius ingenti turba circumfusis processerat, quo paulo ante pietate populi exceptus erat, quo multorum capita servaverat, longe aliter ac solitus erat, membris lacertis, sanie capiti orique inspersa, olim princeps senatus et decus Romani nominis, tunc praeda percussoris. Omnium maxime pectora in gemitus lacrimasque effundebantur, cum viderent ad caput ejus deligatum dexteram, ministram divinae eloquentiae. Caeterorum caedes privatos luctus excitaverant, illius una communem. — Similibus verbis paulo supra in eadem Suasoria eandem rem Livius narrat: „Ita relatum caput ad Antonium jussuque ejus inter duas manus in rostris positum, ubi ille consul, ubi saepe consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium quanta nulla unquam humana vox cum admiratione eloquentiae auditus fuerat. Vix attollentes lacrimis oculos homines intueri trucidata membra ejus poterant“.

Non solum accuratam rei descriptionem Cordus suis verbis

praebet, sed honorifice etiam agnoscit magni oratoris et civis merita, et ita quidem ut eluceat, ipsum re, quam describit, graviter commotum et calamitatem alterius non a se alienam arbitratum esse. Nec deest scribendi peritia, verbis pingendi facultas, vis vigorque orationis, licet etiam in singulis ejus verbis occurrant, quae mutata cupias. Dolendum igitur esse, quod opus nobis omnino ereptum sit, cujus fragmentum exstet tanta laude dignum, quis est qui neget? ²⁶⁾

Tertius locus haud dubie spectat ad laudationem Ciceronis, annexam Cordianae narrationi de morte oratoris rebusque gestis, quae eam secutae sunt, qualem in eadem Suasoria simili modo adjunctam reperies narrationibus Livii et Aufidii Bassi. Idem sequitur e Senecae ipsius verbis, paulo supra prolatis (p. 41 Bip. 35 Burs.): „Quoties magni alicujus mors ab historicis narrata est, totius fere consummatio vitae et quasi funebris laudatio redditur“, quibus annectit Livii, Cordi, Bassi laudationes. Cujus laudationis, quamquam operae pretium non esse eam afferre dicit, partem tamen Seneca eo consilio affert, ut iudicium suum de Cordi laudatione prolatum confirmet atque probet.

Quod ad textum attinet, non paucis difficultatibus locus laborat. Vulgari lectione adhibita loci nostri tres sunt partes. 1) Cremutii Cordi non est operae referre etiam redditam Ciceroni laudationem. Nihil enim in ipsa Cicerone dignum est, ac ne hoc quidem, quod paene maximum est, tolerabile est. 2) Cremutii Cordi. Privatas enim similitudines deponendas interdum putabat, publicas nunquam. 3) Vides credendam civis non solum magnitudinem virtutum, sed et multitudinem conspiciendam. — Prima pars, si summam rei respexeris, bene habet. Bursianus, ut hoc tantum moneam, recepit *referre*, quod magis congruit cum sensu quam *deferre* ed. Bip., quamquam Cod. Bruxell. exhibet posteriorem lectionem; porro *ipso ac* (in Bruxell. se legisse autumat *ipse a*) loco vulg. lect. *in ipsa*; denique *quod paene maxime tolerabile est* loco vulg. lect. *quod paene*

²⁶⁾ Cf. etiam Heldium p. 8.

maximum est, tolerabile est. — Etiam in secunda parte non offendas. Tertia vero corruptissima est. Gruterus e Palat. annotavit *civis loco ejus*, magnitudine et multitudine loco vulg. lect. magnitudinem et multitudinem, quarum lectionum ope Gronovius emendavit: „Vides praestantiam civis non solum magnitudine virtutum, sed et multitudine conspiciendam“, quod Bip. quoque recepit. Schultingius vero proponit: „Vides credendum quod civis sit non solum magnitudine virtutum, sed multitudine quoque conspiciendus“. Haec verba, quamlibet adhibeas lectionem, Senecae fortasse notam, explicationis causa additam, continere videntur; aliquid simile paulo ante reperies in Livii laudatione (p. 41 Bip. 35 Burs.). Bursianus vero, quamquam in Bruxell. *nunquam vides credendam* legendum esse persuasum habet et Bruxell. lectionem magnitudinem et multitudinem exhibet, totum locum sic emendavit: „*Proprias* enim simultates deponendas interdum putabat, publicas nunquam *vi deserendas: civis* non solum magnitudine virtutum, sed multitudine quoque conspiciendus“. Conspiciendus, quod jam Schottus in Codd. legebat, Schultingiusque proponebat, Bruxell. etiam exhibet. Hac lectione recepta pars secunda et tertia Cordo tribuantur, quod sine dubio melius. Ceterum quod ad rem maxime pertinet, non multum interest, cum etiamsi verba tertiae partis Senecae tribuerentur, hic sane ex animo Cordi loqui putandus esset.

Sensum loci nostri respicientes etiam magis torquemur. Primum quaeritur, num verba: *proprias enim simultates cet.* Cordi sint. Ratione habita vocis *enim*, verba allata fortasse jungas cum praecedente Senecae iudicio, ita ut rhetor Cordi verba reddere videatur. Sed genitivo (*Crementii Cordi*), quo ubique Seneca scriptores ipsos loquentes introducit, cogimur ad conjiciendum, hic quoque Cordi ipsius verba Senecam attulisse, quibus ille Ciceronis mentem expresserit. Nisi forte respiciens similem Suasoriarum tenorem, propensus sis ad cogitandum, Senecam non semper allatorum scriptorum verba accurate reddidisse, sed partim excerpisse, partim sensum tantum reddidisse et e re, quam sibi proposuerit, omnia concinnasse. Seneca igitur

Cordum haec verba loquentem inducit: „Cicero putabat, proprias simultates cet.“ Hanc sententiam a Cordo Ciceroni tributam Seneca vituperat. Senecae vituperatio alioquin omni sensu careret; non enim Cordi animum vituperat, sed tantummodo sententiam, quam ille de Cicerone protulerat. Quae res non obstat, quominus Cordus sententiam suam ad Ciceronis sententiam accommodaverit.

Seneca, ut vidimus, vituperat elogium Ciceronis a Cordo compositum, respiciens laudationem copiosiore Cordi in Suasoriam non receptam, cujus pauca tantum affert verba, negans illam, ac vel maxime tolerabilem partem laudationis, dignam esse quae Ciceroni tribuatur. Haec vituperatio omnino non videtur congruere cum Cordi verbis secundo nostro loco a Seneca allatis, quo honorifice agnoscit merita magni viri et oratoris. Ista verba, quae laudationem continent, omnino non admittunt opinionem, Cordum reprehendisse Ciceronem; ut plurimum concedendum sit, Cordum laudationi suae intermiscuisse nonnulla minus laudabilia. Jam Schultingius dixit: „Nam quod privatas injurias remisit interdum, publicas nunquam, quis non hoc Romanus unice laudandum existimet? Quod vero non solum magnitudine virtutum, sed multitudine quoque conspiciendum dixit, an id indignum Cicerone, an id de praestantia et laude illius deruit cumulum?“ Et paulo infra: „Quae hic tribuit Ciceroni, prudentissimorum et fortissimorum sunt civium“. Virum doct. igitur hic Senecae locus tantopere offendisse videtur, ut (ratione habita vituperationis Livii in eadem Suasoria obviae) hanc proponat lectionem: „At Cordus Cremutius: Livii non est operae deterere etiam redditam Ciceroni laudationem. Nihil enim non ipso Cicerone indignum est, ac ne hoc quidem, quod paene maximum est, tolerabile est“. Qua emendatione in medio relicta, rem, salva Cordi fide, non alio modo explicare possumus, quam ponendo, Senecam putare, Cordum non veram Ciceronis virtutem perspexisse, laudasse quidem illum, sed quae re vera et praecipue laudatu digna, virtutes ob quas maxime laudandus sit, non attulisse. Quamquam non praeter-

mittendum est, verbum *nihil* huic interpretationi difficultatem quandam praebere. Si quis vero dicat, Senecae vituperationem fortasse ad artem narrandi genusque dicendi Cordianum spectare, respondendum erit, neminem fugere posse, et verborum contextum huic opinioni non favere, et Senecam sententiam in hac re nimis severam et injustam laturum fuisse. Cordi enim dicendi genus, etiamsi non per omnia laudabile, non dignum est quod in hunc modum vituperetur; narratio ipsa nec arte nec vigore destituta est.

E nostro loco (in quo Ciceronis quidem, neque tamen minus Cordi sententiam pronunciatam esse putamus) intelligitur fortis idemque sibi constans animus Cordi, viri Romani, ut cum appellat L. Ann. Seneca, qui partibus, quibus addictus erat, fidem servavit, cui virtus summum videbatur bonorum acquirendorum²⁷⁾.

4) *Suetonii Aug. c. 35:*

„**Cordus Cremutius** scribit, ne admissum quidem tunc quemquam senatorum, nisi solum et praetentato sinu.“

Hoc loco Suetonius narrat, Augustum senatores, quorum numerus nimis crevisset (erant enim super mille, ait, et quidam indignissimi), ad modum pristinum et splendorem redegit. Duabus hoc factum esse lectionibus: prima ipsorum arbitratu, quo vir virum legerit, secundam suo et Agrippae. Opus periculo non destitutum erat, Augustus quidem, periculi causam adesse suspicatus, quam maxime sibi cavet. Primum igitur in aliud quinquennium sibi principatum prorogavit, deinde Agrippae tribuniciam potestatem ad idem tempus dedit²⁸⁾. Lorica hoc tempore sub veste munitum ferroque cinctum praesedis, decem valentissimis senatorii ordinis amicis sellam circumstantibus, creditum esse, refert Suetonius²⁸⁾. Post haec sequuntur Cordi verba, ne admissum quidem quemquam senatorum esse

27) Cf. etiam Heldium p. 8.

28) Dio LIV. 12.

¶ 29) E Dione l. l. idem elucet; addit vero, Augustum ipsum putasse cautionem adhibitam haud multum sibi profuturam esse.

nisi solum et praetentato sinu. Spectant haec ad secundam senatus lectionem, de qua accuratius Dio egit, habitam P. Cornelio Lentulo Marcellino et Cn. Cornelio Lentulo Coss., a. u. c. 735 = 18 a. Chr. Senatores ad numerum sexcentorum reduxit, non sine difficultate res ad finem perducta est³⁰⁾. — Hunc Suetonii locum e Cordi annalibus desumptum fuisse putaverim.

Plinius major denique duos *Cremutii* locos offert. A Plinio allatus Cremutius sine ulla dubitatione noster habendus est, cum alter hujus nominis scriptor non occurrat, Cremutius vero Cordus Plinii temporibus adeo innotuisset, ut simplex Cremutii appellatio sufficeret.

5) *Plinii nat. hist. X. 26 = X. 74 Silig.:*

„*Auctores sunt omnibus annis advolare Ilium ex Aethiopia avis et configere ad Memnonis tumulum, quos ob id Memnonidas vocant; hoc idem quinto quoque anno facere eas in Aethiopia circa regiam Memnonis exploratum sibi Cremutius tradit.*“

De re ipsa cf. Ovid. Met. XIII. 576—619. Pausan. X. 31. 2. Aelian. nat. animal. V. 1. Serv. ad Virg. Aen. I. 751³¹⁾.

Num re vera Plinius credulitatem Cremutii carpserit, ut Heldius (p. 6) opinatur, mihi dubium videtur, cum, verbo explorandi eo sensu accepto, de quo supra (p. 20), nullo modo cogamur statuere, ipsum etiam fabulae enarratae fidem habuisse.

30) Cf. Dio. LIV. 12—14. Baileri Fast. cons. Hoeckium l. l. I. 1. p. 393—95.

31) Aelian. V. 1. *Γῆν τὴν Παριανῶν καὶ τὴν γέιτονα Κῶζικον ὄρνιθας δικεῖν μέλανας ἰδεῖν φασιν — ὅταν δὲ ἐπάρξῃται τὸ μετοπώριον, εἰς τὴν Ἰλιάδα γῆν ἀγέλη τῶνδε τῶν ὄρνιθων — καλοῦσι δὲ αὐτοὺς Μέμνονας — ἐδῶδ' τοῦ Μемνονεῖου τάφου φοιτῶσι — Ὀδοῦν τοὺς ὄρνιθας τοὺς ἐπωνύμους τοῦ ἥρωος τοῦ προσειρημένου ἀφικνεῖσθαι κατὰ πᾶν ἔτος, καὶ διαιρεῖσθαι τε καὶ διασχίεσθαι εἰς ἔχθραν καὶ διαφορὰν, καὶ μάχεσθαι μάχην καρτερὰν, καὶ ἐς τοσοῦτον ἔστ' ἂν οἱ μὲν αὐτῶν ἀποθάνωσιν οἱ ἡμίσεις, οἱ δὲ ἀπέλωσιν οἱ κρατήσαντες ἔνθεν καὶ ἀφίκοντο.* — Serv. ad Virg. Aen. I. 751 (Virgilia opera ed. Burmann. Amstelod. 1746). Memnon — qui cum auxilium Trojanis ferret, apud Trojam occisus est. Hic in tanto honore apud suos socios fuit, ut post ejus mortem, cum eum nimis deflerent, miseratione deorum in aves conversi dicantur, et quotannis venire ad tumulum ejus et ibi lamentatione et fletibus se dilacerare, donec aliquantae ibidem moriantur.

In *Solini* quidem Polyhistore C. XL. p. 51. Ed. Salmas. (al. C. XLIII. al. LIII) verba sequentia reperiuntur:

At juxta Ilium Memnonis stat [aliud] sepulcrum, ad quod sempiterno ex Aethiopia catervatim aves advolant, quas Ilienses Memnonias vocant. Cremutius auctor est, has easdem anno quinto in Aethiopia catervatim coire et undique versum quod usquam gentium sit [quousquam gentium sint], ad regiam Memnonis convenire."

Sed jam Vossius et Salmasius animadverterunt, e Plinio hunc locum suo more Solinum exscripsisse, M. S. quidem lectionem *Crumentius* exhibere, hoc vero librarii culpa factum et e Plinio corrigendum esse³²⁾.

6) *Plinii nat. hist.* XVI. 26 = XVI. 108 *Sillig.* :

„*Cremutius auctor est nunquam virere arborem, ex qua Phyllis se suspenderit.*“

De re ipsa cf. Ovid. *Heroid.* 2. *Hygin.* *Fab.* 59 et 243. *Serv.* ad *Virg. eclog.* V. 10³³⁾.

Utrum et hujus et supra laudati loci ratio ea sit, ut inseri potuerint notitiae istae annalium libris, an ex alio Cordi opere desumptae fuerint, de hac re jam supra disseruimus.

32) Vossii de *hist. Lat.* p. 113. *Salmasii Plinianae exercitationes* in C. Julii Solini Polyhistora (Traj. ad Rh. 1689) [C. XL. p. 612].

33) *Serv.* ad *Virg. eclog.* V. 10. *Phyllis* Sitonis filia [*Lycurgi* et *Crustamenae* filia, ut ait *Lutatius* sive alius, qui argumenta *Ovidii* composuit. *Voss.*] reginae *Thracum* fuit. Haec *Demophoontem*, *Thesei* filium, regem *Atheniensium*, redeuntem de *Trojano proelio*, dilexit et in conjugium suum rogavit. Ille ait ante se ordinaturum rem suam et sic ad ejus nuptias reversurum. Profectus itaque cum tardaret, *Phyllis* (et amoris impatientia) et doloris impulsu, quod se spretam esse credebat, laqueo vitam finivit et conversa est in arborem (sui nominis, id est) *Amygdalum* sine foliis. Postea reversus *Demophoon*, cognita re, ejus amplexus est truncum: quae velut sponsi sentiret adventum, folia emisit. Unde etiam *φύλλα* dicta sunt, a *Phyllide*, quae antea *πέταλα* dicebantur. cf. etiam *Harduinum* (*Parisiis.* 1723) ad *Plin.* XVI. 26.

DE RATIONE QUÆ INTER CORDUM ET ALIOS SCRIPTORES INTERCEDAT.

Praeter illa a nobis allata, jam antea viris doctis nota, *Cordi* fragmenta alia reperire nobis, quamvis non mediocrem operam curamque in investigando consumpserimus, non contigit. Num alii scriptores e *Cordi* scriptis hauserint et quemadmodum eo auctore usi fuerint, non nisi accuratissime perlustratis scriptoribus, praesertim historiographorum operibus, qui inde ab Imperatoris *Tiberii* temporibus innotuerunt, fortasse adjudicari possit. Tantummodo constat, *Senecam* rhetorem et *Plinium majorem* ex eo hausisse et *Suetonium* eo usum esse et inter fontes suos afferre. Quamvis a *Suetonio* uno tantum loco testis dicatur, tamen ab eo saepius adhibitum esse cum *Krausio* crediderim¹⁾.

Plinius praeter illos locos, de quibus egimus, in indice librorum a se adhibitorum, qui reperitur in primo *nat. hist.* libro, scriptoribus, quibus usus sit in conscribendo libro VII, et *Cordum* annumerat. *Cordum* hunc a *Cremutio Cordo* non deferre vix dubitaveris. Ut modo *Cremutius Cordus*, modo *Cordus Cremutius* nominatur, sic ei tribuitur a *Plinio* nomen modo *Cordus*, modo *Cremutius*. In *Plinii* librum VII, varietate et multitudine rerum, quae spectant ad hominem omni fere ex parte, animum valde capientem, notitias e *Cordo* receptas, vel etiam totos locos ex eo desumptos esse a verisimilitudine non abhorret. Ibi nimirum *Cordi* fragmenta, si conceduntur, quaerenda sunt et fortasse investigari possunt. Sed quae via ingredienda est ad ea indaganda? Utrum *Plinius* usus est annalibus ejus, an forte alio opere ejus, an utroque? Utrum quae *Cordi* libris continebantur ad sententiam exscripsit, an verba auctoris ipsa reddidit? Si *Cordi* opus adhuc superesset et cum *Plinii* scriptis conferri posset, locos quos desumpserit aperte indicare aut saltem ex ipsorum indole conjicere

1) *A. Krause*: de *C. Suetonii Tranquilli* fontibus et auctoritate. 1831. p. 41. *Schweigeri* comment., de fontibus atque auctoritate veterum XII. *Imp.* *Suetonii* a. 1830 scriptam, conferre mihi non contigit.

nobis liceret. Sed Cordi fragmenta, quae aetatem tulerunt, propter exiguitatem ne comparationem quidem admittunt e dicendi genere potissimum petendam. Nuperrime quidem Brunnius²⁾ sententiam protulit, Plinium eodem ordine, quo in componendis libris usus sit, auctores etiam in indices retulisse et hanc suam sententiam multis exemplis e singulis libris desumptis probare conatus est. Sed ipse v. d. confitetur, variis modis aut obscuratum esse ordinem aut perturbatum, ut interdum vix aut jam omnino non agnoscat, et quod attinet ad L. VII. concedit³⁾, rationem habendam esse totius libri naturae, quae ejusmodi sit, ut res in eo narratae minus certum dispositionis ordinem postulent liberiusque evagandi saepissime occasionem offerant. Qua ita fortasse Plinium usum esse, ut tum demum, cum jam quae dicenda essent, singulis capitibus collegisset, totius libri ordinem constitueret. Hunc librum vero hujusmodi dispositionis ordine carere, e sequentibus exemplis conjicias. Verrius Flaccus, qui in indice primum tenet locum, § 180. testis affertur; Gellius No. 2. § 192 cet.; Licinius Mucianus No. 3. § 36. 159; Cicero Nr. 6. § 18. 85. 135; Varro No. 8. § 13. 75 cet.; Messala Rufus Nr. 9. § 173; Trogius No. 18. § 34. et sic porro. Quare, etiam Brunnii sententia concessa ejusque methodo adhibita, exiguum tantum animo concipere possumus spem Cordi fragmenta investigandi.

Krausius existimavit⁴⁾, Vellejum Paterculum praeter multos alios scriptores etiam Cremutium Cordum adhibuisse ex quo hauriret; sed jam Eggerus⁵⁾ jure animadvertit, parum hoc veri simile esse. Scriptorem, qualem Vellejum compertum habemus,

2) Cf. ejus disputationem isagogicam de auctorum indicibus Plinianis (in libello scripto ad celebranda natalicia August. Regis Friderici Guilelmi IV. Bonnae. 1856) p. 1.

3) l. l. p. 12.

4) J. Chr. H. Krause: Velleji Paterculi hist. Rom. 1800. Prolegomena p. 44.

5) Egger: Examen critique des historiens anciens de la vie et du regne d'Auguste. 1844. p. 122. cf. etiam Velleji Paterculi hist. Rom. recens. Kritzius. 1840. Prolegomena p. XL.

qui Augustum summis effert laudibus, Tiberium et Sejanum adulatur, nullo modo in illa operis sui parte, ubi agitur de reipublicae interitu et de imperii initiis, haurire potuisse e scriptis Cremutii Cordi, reipublicae amantissimi, dominationi, praesertim Sejanianae tyrannidi infestissimi, vix argumentis probari opus est. Qua in re si quid remittitur, summum est quod concedas, illud fieri potuisse in priore operis parte, qua brevissime res gestas narrans adulator Augusti, Tiberii et Sejani ipsius Ciceronis, Catonis et Bruti honorifice meminit⁶⁾, nec praetermittendum putat quin etiam effrenatas Juliae Augusti libidines commemoret⁷⁾; adulatio prorsus conspicua est in postrema operis parte, praesertim inde a L. II. capite 74⁸⁾. Sed Vellejus in numero scriptorum, quos affert, nullo loco Cremutium nominat. Cum ei in conscribenda priore historiae parte paterent alii fontes, eum Cremutium Cordum, quippe a quo et ingenio et animo longe differret, adhibuisse non verisimile est. — Num etiam inter Cordum et Quintilianum ratio intercedat, infra copiosius illustrabitur.

DE INGENIO ANNALIUM CORDI ET DE EJUS GENERE DICENDI.

Dijudicaturis ingenium annalium Cordi et genus scribendi, quo usus sit, perpauca tantum afferri possunt adjuncta. E fragmentorum numero non nisi ea respicienda sunt, quae apud Senecam rhetorem leguntur; his addenda sunt, quae Seneca philosophus in Consol. et Tacitus nobis tradiderunt, quorum uterque summa cum circumspectione adhibendus est. Cordi defensio, Taciti annalibus inserta, magni pretii foret, si ipsa

6) Vellej. Paterc. II. 45. 46. II. 35. II. 72.

7) Ibid. II. 100.

8) Ad justam dijudicationem adulationis Vellejanae cf. C. Morgensternii comment. criticam de fide historica Vellej. Paterculi, imprimis de adulatione ei objecta. 1798 (etiam receptam in Krausii editionem Velleji, ubi legitur p. 105 sqq). Kritzius l. l. p. XXIII sqq. Sauppium in Museo Helvet. (Schweiz. Museum für hist. Wiss.). 1837. Vol. I. 2. p. 133—80, laudatum a Kritzio.

Cordi verba redderet; sed hoc potissimum ambigitur. Conscripta enim esse potest a Tacito ex ingenio et mente Cordi; dicendi genus saltem prae se fert colorem Taciteum. Heldii opinionem (p. 11. 12), Tacitum inspexisse aut exemplar orationis a Cremutio dictae, aut acta publica, in quibus orationis argumentum fuerit perscriptum, nec negare nec affirmare ausim. In Seneca vero legendo cavendum est ne obliviscamur, amicum Cordi, amicissimum filiae, quem consolari omni modo studeat, verba proferre totamque consolationem elato sermone exaratum esse.

Cordi annales patriae reipublicaeque amoris documenta ediderunt splendidissima. Hoc confirmatur omnibus iis, quae de auctore ipso relata sunt, praesertim laudibus quibus Brutum Cassiumque extulit. Hoc elucet etiam e Senecae verbis (consol. c. XXVI. 1): „Illo ingenio, quo civilia bella deflevit, quo proscribentes in aeternum ipse proscripsit.“ Libertas, animus virilis et imperterritus, ingenii vis, mentis vigor, probitatis candor, quibus conspicuus erat Cordus, haud dubie etiam ingenii opus et monumentum, annales dico, suis notis obsignarunt duraturis. Ne multa. Satis est meminisse, quo modo egerit, cum in jus vocaretur, repetere memoriam defensionis quam Tacitus legendam praebet, mortis quam sibi conscivit, consolationis denique Senecae, cujus verba a nobis capp. I. XXII. XXVI. allata sunt, ubi de moribus et indole Cremutii Cordi egimus (p. 17. 18). Quae cum ita sint, dubium esse non potest, quin Cordi annales etiam veritatis studio excelluerint. Cujus rei jam per se concedendae testimonium exhibent Seneca ¹⁾ et Suetonius ²⁾. „Religiosus et sedulus fuisse videtur Cordus, ait Heldius (p. 13), ita ut in scribendo res parvas pariter atque magnas cum cura

1) Consol. I. 3. Ad quos (sc. posteros) veniet incorrupta rerum fides, auctori suo magno imputata — Cujus viget vigebitque memoria, quamdiu in pretio fuerit Romana cognosci; quamdiu quisquam erit qui reverti velit ad acta majorum.

2) Calig. 16. Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta — requiri et esse in manibus lectitarique permisit, ut facta quaeque posteris tradantur.

tractaret.“ Quae quidem sententia etiam colligi potest e Cordi fragmentis a Seneca et Suetonio allatis, majorem in modum e locis Plinianis.

Dicendi genus, quantum conjici potest e tam exiguis reliquiis et ex iis quae Seneca philosophus et Tacitus referunt, eloquens et elatum fuisse videtur³⁾. Si Heldius (p. 13) facetias et dicacitatem ei tribuit, non video, unde hoc concludat. Quodsi idem v. d. (p. 10) dicendi genus simplex, placidum in plerisque, commotius vel flebile tum tantum, quando damna liberae civitati allata enarrarentur, fuisse opinatur, cum eo consentire non possum. Primum enim Cordus nec in oratione, quam habuit ante mortem, nec in narratione quam exponit Seneca rhetor (frgm. II), e quibus solis illud concludi posse videtur, simplex et placidus apparet; tum *simplex* illud et *placidum* cum facundia et dicacitate, quam ipse ei tribuit, non concinit; denique repugnare videtur sententiae prolatae, quod Seneca Cordum dicit eloquentem. Nec majore jure Heldius Cordi genus dicendi *febile* significat. Nam si addit (l. l.): „Haud immerito dixerim, auctorem adeo conquestum esse de amissa libertate et dignitate civium, ut opus totum tristitiae colorem accepisse videatur“ et hoc conjungit cum Senecae philosophi verbis, dicentis Cordum bella civilia *deflevisse*, nobis haec argumenta firmo fundamento carere videntur. Etenim verba Senecae: „deflevit bella civilia“, ut jam supra monuimus, ad Cordi annales referre nulla re cogimur. Ad quod accedit, quod verbum deflendi non solummodo significat *lacrimas fundere*, sed latiore sensu etiam accipi potest pro verbo deplorandi. Concinnitas vero verborum et sententiarum densitas, quibus oratio Cordi apud Tacitum in-

3) Senecae consol. I. 4. Magnum mehercule detrimentum reipublica ceperat, si illum ob duas res [partes, artes] pulcherrimas in oblivionem conjectum, eloquentiam et libertatem, non eruisses. Ibid. XXVI. 3. Ostendi, quam magno et quam vivaci animo scripsissem. Fickertus e conjectura Bongarsii recepit: „quam magno me juvaret animo scripsisse.“ Similia et plures Codd. exhibent, et editiones Gothofredi (1590), Ruhcoptii, Bipontina a. 1809. — Aliter Heldius p. 13: Non tam eloquens, quam facundus.

signis est, utrum Taciti an Cordi fuerint, et si Cordus illis ingenii virtutibus re vera pollebat, num inde de annalium dicendi genere conjecturam facere nobis liceat, in dubio relinquendum est. Recte jam monuit Heldius (p. 12): „Hanc orationem si comparaveris cum iis, quae ut a Cremutio scripta Suasoria allata offert, genus dicendi perquam diversum deprehendi concedes.“

NUM QUINTILIANUS (X. 1. 104) DE CREMUTIO EGERIT, QUÆRITUR.

De dicendi genere et de ingenio annalium Cordi sententiam multo stabiliorem et firmiorem haberemus, si nobis liceret Quintiliani locum (X. 1. 104) ad Cremutium Cordum referre. Nostro enim tempore a v.v. d.d. saepius sententia prolata est, Quintilianum illo loco, qui maxime cruciavit interpretes ¹⁾, agere de Cremutio, quam ob causam nobis videmur superedere non posse opera examinandorum eorum, quae ab iis prolata sunt.

In editionibus, praecipue ad optimos Codd. Florent. et Turic. recensitis, l. l. haec verba leguntur:

Superest adhuc et exornat [superest ad hoc exornat] aetatis nostrae gloriam vir secutorum memoria dignus, qui olim nominabitur [nominabatur], nunc intelligitur. Habet amatores, nec imitatores, ut [immerito remuti, immerito remitti] libertas, quamquam circumcisis quae dixisset, ei nocuerit. Sed elatum

1) Cf. prae ceteris Spaldingii editionem Quint. (IV. T. 1798—1816) et suppl. annotationis a Zumptio edita (T. V. 1829). Frotscheri M. Fabi Quint. instit. orat. Liber decimus. 1826. Excursus II. ad cap. I. § 104 (p. 233 sqq.), qui et recepit Sarpii Quaest. philol. 1819. cap. 1 (p. 1—11). Baehrium l. l. II. 150 sq., qui respicit hujus loci interpretationes gravioris momenti. Bernhardium l. l. p. 595. Nipperdeium in Philologo. VI. 1. 1850. p. 139 sq. Ritterum ibid. VI. 4. 1851. p. 752—54. Weberi commentationem: M. Fab. Quint. locus (X. 1. 104) emendatus et illustratus, in Ind. Lect. Acad. Marburg. 18⁶³/₄. Osanni Adnot. crit. in Quint. inst. orat. L. X. Particula VI, in opusculo laudato, conscripto ad celebrandum diem ab S. Ludovici nomine nuncupatum. Gissae. 1858.

abunde spiritum et audaces sententias deprehendas etiam in his, quae manent.

Quintilianus, Graecorum poëtis, historiographis, oratoribus et philosophis perlustratis, qui potissimum oratori usui esse possint, transit ad Romanos, enumerat poëtas, deinceps rerum scriptores. Nominat Sallustium, Livium, Servilium Nonianum, Aufidium Bassum, in fine indicis ponit historiographum, quem quidem magnis effert laudibus, cujus nomen vero reticet. Quisnam fuerit vir ille, quem Quintilianus tanto ornavit praeconio, quaestio illa est, quae videlicet magnam curam et sollicitudinem attulit interpretibus, qui vel Tacitum, vel Plinium majorem, vel Fabium Rusticum, vel alium quendam subintelligendum conjectarunt ²⁾.

Nuperrime eodem tempore Nipperdeius ³⁾ et Osannus ⁴⁾ (quos secuti sunt Ritterus et Weberus ⁵⁾) in eandem inciderunt conjecturam, in corrupta Codd. lectione *remuti* vel *remitti* Cremutii nomen delitescere ⁶⁾; legendum igitur esse: „Habet amatores, nec immerito, Cremuti libertas“. Weberus et Osannus his argumentis hanc conjecturam probare student. Nil obstare quin ab imperito librario nomen *Cremutii* sive *Cremuti* commutatum sit in *remuti* sive *remitti*. Quintilianum eodem ordine enumerare scriptores (Livium, Aufidium Bassum, Cremutium Cordum), quo enumerentur a M. Annaeo Seneca, ita ut a vero discrepare non videatur, Quintilianum ad manus habuisse Senecae locum. Quintilianum iisdem fere verbis loqui de eloquentia, libertate et audacia scriptoris a se allati, quibus utatur L. Annaeus Seneca de Cremutio Cordo, scriptorem suum iisdem fere laudibus efferre, quibus Seneca eundem Cremutium Cordum, ita ut Seneca quasi interpres verborum Quintiliani dici posset.

2) Recensum exhibent Bachius in: Jenaische allg. Lit. Ztg. 1837. Suppl. 85. p. 294 sq. Baehrius II. 150. sq. Weberus l. l. p. IV.

3) Philologus VI. 1. p. 139 sq.

4) Cf. Weberum l. l. p. VI. VII. Osannum l. l. p. 3.

5) Ritterus in Philologo VI. 4. p. 752—54. Weberus l. l.

6) Jam Burmannus conjectabat in verbis *rem* vel *remitti* latere nomen alicujus historici. cf. eundem ad Quint. l. l.

Adscita lectione Cod. Brisg. *nominabatur* loco vulgatae *nominabitur* sic interpretantur Quintiliani locum. Rhetorem, enumeratis et perlustratis historicis, ratione artis oratoriae docendae habita, in fine indicis commemorare scriptorem, prae ceteris memoratu dignum simili modo quo hoc factum sit X. 1. 91. in poetarum et X. 1. 122. in oratorum enumeratione. Cremutio Cordo tribuere locum insignem cum propter ingenium indolemque scriptorum, tum propter fata insolita quae subierint auctor et scripta. Cordi nomen jam dudum in omnium ore fuisse (*nominabatur*), scripta vero ejus, S. C. abolita et a filia amicisque occultata, plurimis ignota fuisse, donec Caligulae temporibus in lucem prolata denuo legerentur (*intelligitur*). Si locus Quintiliani ad Cordum referatur, etiam verba ista difficilia intellectu: „quamquam circumcisis quae dixisset ei nocuerit“, satis bene intelligi. Mutantes verbum *nocuerit* in *nocuerint*, de circumcissione, quam subierint Cordi annales, cogitandum esse opinantur. Quintilianum respexisse ad epitomas annalium Cordi, ab amatoribus ejus compositas, quae, comparatae cum annalibus licet exiguae fuerint, satis habuerint vigoris, audaciae et libertatis, ut amicos lectoresque sibi compararent laudibusque efferrentur a Quintiliano.

Quamquam concedendum est, lectionem *Cremuti* ab imperito librario in *remuti* vel *remitti* facile commutari potuisse, quod etiam varietate lectionum comprobari videtur (cf. Spaldingii et Frotscheri editiones), tamen pluribus argumentis impedimur, quominus conjecturae illi assentiamur.

Cremutium Cordum a Quintiliano significatum esse illo loco non nisi recepta lectione *nominabatur* pro vulgata *nominabitur* contendi potest. Haec vero lectio solo Cod. Brisg. nititur et vis argumenti e lectione illius Cod. desumpti minuitur, si reputaris, simillimo loco X. 1. 94. „qui olim nominabuntur“ Codd. Turic. et Flor. exhibere lectionem *nominabantur*. Cum his cf. X. 1. 45., ubi itidem Codd. Tur. et Flor. habent *nominabantur* pro *nominabuntur*. Quibus locis verborum contextu futurum tempus posci liquet. — Huc accedit, quod *nominabatur* vix

interpretationem admittat, nomen scriptoris notum fuisse. Quintilianus enim dicere voluisse putandus est: nunc ubi scripta viri nondum nota sunt, noscitur quidem (*intelligitur*); olim vero, cum demum innotuerint, maximis laudibus nomen ejus celebrabitur (*nominabitur*). Osanni et Weberi opinio, Cordi nomen jam dudum in omnium ore fuisse, scripta ejus vero, utpote diu oppressa, tum demum innotuisse, collabatur. Cum enim inde ab illo tempore, quo Cordi scripta abolerentur (a. XXV. p. Chr. n.), usque ad id tempus quo denuo edita sunt (a. XXXVII), XII tantum annorum spatium praeterlapsum esset (ut supra docuimus), Cordi scripta igitur eo tempore, quo opus Quintilianum conditum est vel in lucem prodiit (c. a. XCV)⁷⁾, decem lustra saltem jam nota fuissent, Quintilianus nullo modo, Cordum respiciens, verbis *nunc intelligitur* dixisse putandus est, *nunc primum* illum nosci.

Ad epitomen annalium Cordi porro referri verba *circumcisis quae dixisset*, quae est sententia v.v. d.d. laudatorum, non concedendum est. Quamquam de epitome quidem operis Cordiani nihil traditum est, tamen negare nolumus, ut aliorum rerum scriptorum ita etiam Cordi opus in epitomen contrahi potuisse (cf. p. 30). Sed verbum circumcidendi tantum intelligendum est aut de concise et presse scribendi vel dicendi genere (cf. Quint. VIII. 5. 27. Oratio rotunda et undique circumcisa. X. 2. 28. Circumcidat, si quid redundabit), aut de sententiis suppressis vel in animo retentis, ita ut circumcissione adhibita non omnia proferantur. Quomodo vero de excerpto opere (epitome proprie dicta) dici possit, id ipsum circumcissum esse, haud facile intelligitur. Adde quod haec conjectura non nisi recepta lectione *nocuerint* pro *nocuerit* (quod fecerunt Osannus et Weberus) obtineri possit, sin minus verbum careret subjecto. Lectio vero illa codicum auctoritate destituta est.

7) Quint. instit. conditae haud dubie et editae a. XCV, fortasse jam a. XCIII. cf. Dodwellii Annal. Quintil. (Burmanni Quint. 1720. p. 1140 sq.). Gernhardi Quint. 1830. p. XX sq. Bonelli Quint. L. X. 1855. Praef. p. 8.

Praeterea quaeritur, utrum *libertas* de libero animo, quem auctor praestiterit in rebus publicis, intelligenda sit, an potius cum Spaldingio ⁸⁾ de vituperatione, qua multos, libere vitia notando, laeserit. Pari modo *audaces sententias* collatas cum *elato spiritu* de dicendi vel scribendi genere, cui dijudicando Quintilianus omnium maxime intentus est, intelligere praetulerim, quam de libero animo auctoris. Nec silentio praetereunda, quae monuit Bernhardius ⁹⁾: „Quintilian war nicht der Mann, um ein so warmes Interesse an der Freisinnigkeit eines Historikers, und zwar ausser der Ordnung seines literarischen Registers, auszusprechen“.

Verba *superest adhuc et exornat* Weberus et Osannus, omisso *et*, emendaverunt ille (p. V. VI) *superstes adhuc exornat*, intelligenda de scriptis Cordi adhuc superstitibus, hic (p. 5.) *superior adhuc exornat*, sumenda de temporis ratione inter Cordum et Aufidium Bassum intercedente, de quo paulo ante egerat Quintilianus. Siquidem elisio particulae *et* nititur Codd. Flor., Turic., Bamberg., lectio *superstes* et *superior* parum tantum codicibus sustentatur. Facile etiam concedas, utramque interpretationem nimis artificiosam esse. Ad quod accedit, quod *superest*, de eo quod adhuc exstat intelligendum, semel tantum reperitur apud Quintilianum, de eo vero intelligendum, quod in fine operis vel capituli, absolutis ceteris rebus, adhuc pertractandum restet, Quintiliani proprium sit et plus quadragies in libris ejus deprehendatur ¹⁰⁾. Quamquam non praetermittendum est, hac interpretatione recepta, particulam *et* difficultatem quandam afferre.

Si porro eo, quod Quintilianus et M. Annaeus Seneca eodem ordine enumerent Livium, Aufidium Bassum, Cordum, pro-

8) Sic etiam Bonnellus (ad nostrum locum): Die Rücksichtslosigkeit im Allgemeinen, mit der die Dinge dargestellt werden. Vgl. X. 1. 94. XII. 9. 13.

9) l. l. p. 595.

10) Cf. Bach in: Jenaische allg. Lit. Ztg. 1837. Suppl. 85. p. 294. Bonnelli Lex Quint. 1834. v. supersum.

bare student v.v. d.d., Quintilianum ante oculos habuisse Senecam et l. l. Cordum cogitatione complexum esse, infitiamur nolumus, eundem enumerandorum historicorum ordinem vim quandam habere. Sed cavendum est, ne praetermittamus, tres historicos ab utroque scriptore eodem quidem ordine enumerari, Quintilianum vero inter Livium et Bassum nominare Servilium Nonianum, Senecam post Cordum addere Brutidium Nigrum, quem non habet Quintilianus, ex quo intelligitur, vim argumenti ex eodem historicorum ordine desumpti imminui. Si denique proferunt, Quintilianum iisdem fere verbis loqui de elato spiritu, libertate et audacibus sententiis scriptoris sui, quibus utatur L. Annaeus Seneca de Cordo, illumque iisdem laudibus efferre scriptorum suum, quas hunc suo tribuere videmus, respondendum est, attributa illa tantum ex parte aliqua congruere (cf. Quint. l. l. cum Senecae consol. capp. I. 3. 4. XXII. 3. 4. XXVI. 12) et, ut supra commemoravimus, apud Quintilianum sine dubio alio sensu accipienda esse atque apud Senecam; ex eo vero quod duo scriptores auctorem quandam laudibus exornent, nullo modo sequitur, eundem utrumque intellexisse, nisi alia probabilitatis accedant argumenta, cum nihil impediatur, quin similitudo verborum ab utroque adhibitorum fortuita fuerit.

Re hucusque in disceptationem vocata probasse nobis videmur, argumenta ab Osanno et Webero prolata non tam firma esse, ut ipsis fidem habere possimus, ut taceam de mutationibus, quibus contextui vim inferunt. His adde, quod Cremutius Cordus, secundum ea quae nobis tradita sunt, satis quidem notus clarusque fuit, nullo modo vero dignus, quem Quintilianus tanto ornaret praeconio. Verba, quibus usus est rhetor, tantum adhiberi potuerunt, si animum intendisse putatur ad virum, qui primis et clarissimis seculi sui ingeniis annumerandus est. Quintilianus etiam nullo modo dicere potuit, Cordum aetatis *suae* gloriam exornare, quippe qui plus septuaginta annis ante vita decesserat, quam verba illa pronunciata sunt. Haec verba tantum de viro dici potuerunt, qui Quintiliano aequalis fuit.

Quintilianum sibi aequalem animo comprehendisse, cujus opus nondum vulgatum esset, solummodo sibi et paucis fortasse amicis notum, ponendum est. Aut virum, quem inter clarissimos aetatis suae scriptores numeratum iri speraret, in animo habebat, aut fortasse tantum nobili loco natum quendam adulari volebat. Si res ita habet, mirum videri non potest, quod nulla ejus viri, de quo egit, ad nos pervenerit memoria. In opere illo etiam circumcise scribendi genus ingenium genuinum non oblitteravit. Ne plura dicam! Anquirere, quemnam in animo habuerit Quintilianus illo loco desperato et res cum hac disquisitione conjunctas in accuratiorem disquisitionem vocare, a proposito nostro alienum est. Id certe de quo nos agimus, Cordum non esse eum ad quem spectaverit auctor, probasse nobis videmur.

Ad finem commentationis nostrae devenimus. Vitam et scripta A. Cremutii Cordi adumbrare conati sumus. Cum paucissima tantum veterum testimonia, quibus uti liceat, exstant, etiam operae nostrae fructus exiles esse non ignoramus. Cum vero in studiis scientiae cognitionisque cuique adjumento, quod rebus adhuc obscuris lucem quandam afferat, jus suum esse persuasum habeamus, dissertatione nostra exaranda opus supervacaneum suscepisse nobis non videmur. Etiam si Cremutius Cordus nec insignem locum in historia teneat, nec clarissimis Romanorum scriptoribus annumerandus sit, tamen et ob morum integritatem et ob fata quae subiit haud indignus nobis videtur, qui vindicetur ab oblivione. Insigne monumentum viro tam misero quam honesto posuerunt Seneca in consolatione scripta ad Marciam filiam patre dignissimam et Tacitus in annalibus, cujus verborum meminisse juvat: praesenti potentia exstingui non posse etiam sequentis aevi memoriam.

EXCURSUS.

Quo firmioribus argumentis prolata a nobis p. 13 sq. de Cremutio Cordo et Marcia sententia comprobetur, quaedam nobis proferenda sunt ad Romanorum nominum rationem spectantia, cum Sigonii ¹⁾, Panvini ²⁾, Cannegieteri ³⁾, Zaccariae ⁴⁾, Orellii ⁵⁾, Zellii ⁶⁾, Grotefendi ⁷⁾, Ellendtii ⁸⁾ aliorum disquisitiones, maxima quidem diligentia institutae, rem hic illic minus accurate tractantes, nonnullos ad specilegium stipulas relinquerint.

Nominum indendorum ratio, quae apud Romanos simul cum republica exstitit, simul cum civitatis mutationibus per multas vices subiit. Quamdiu apud Romanos nexus gentium et familiarum vigeat, certa nominum ratio observabatur. Primis jam reipublicae temporibus quisque civis Romanus nomen gentis, ex qua ortus erat, gerebat, cui addebatur praenomen, ante nomen gentilicium positum, ut distingueretur a ceteris gentilibus. Inter nomina primum locum obtinebat gentilicium, quod, paucis formis exceptis, exhibat in *ius* ⁹⁾. Hac forma

1) Sigonii de nominibus Romanorum liber (Graevii Thesaurus Antiq. Rom. T. II. 1694).

2) Panvini de antiquis Rom. nominibus liber (Graevii Thes. T. II).

3) Cannegieteri de mutata Romanorum nominum sub principibus ratione liber. 1758.

4) (Zaccariae) Istituzione antiquario-lapidaria. 1770. p. 59—121.

5) Orellii Inscriptt. Lat. select. ampliss. collectio. T. I. 1828. T. III. ed. Henzen. 1856. C. VIII. Nominum ratio apud Romanos.

6) Zell: Hdb. d. Röm. Epigraphik. Bd. 2. 1852. p. 82—109.

7) Grotefend: Zur Geogr. u. Gesch. von Alt-Italien. Heft V. Nomenclatur der Völker Alt-Italiens. 1842.

8) Ellendt: de cognomine et agnomine Romano. 1858.

9) Satis notum est exstitisse et alias nominis gentilicii formas, sed

constanter et quasi lege imposita utebantur Romani usque ad ultima imperii tempora. Ad familias distinguendas, in quas magis magisque discedebant gentes, cognomen nomini (gentilicio) postponebatur. Cognominum variae quidem erant terminationes; inter usitatissima numerantur desinentia in *us*. Cognomina hujus generis aperte spernunt formam *ius*. Ubi nomina formantur in *ius*, cognomina retinent formam *us* (Flavius — Flavus, Licinius — Licinus, Rutilius — Rutilus), vel assumunt formam *inus* (Flaminius — Flamininus, Sextius — Sextinus), vel habent utramque formam (Albius — Albus, Albinus, Crispus — Crispus, Crispinus). Cum familiae discederent in stirpes diversas, saepius cognomini addebatur cognomen alterum sive agnomen, quod initio singulis quidem hominibus tribuebatur, postea vero retinebatur a quibusdam stirpibus, ut distinguerentur ab aliis ejusdem familiae, ut in Scipionibus Africani et Nasicae. Civibus Romanis quidem usitatissimum erat jam primis reipublicae temporibus tria nomina gerere; nonnullarum vero familiarum duo tantum nomina nobis tradita sunt, quarum cognomina aut ignota, aut quae cognomine omnino uti non solebant, ut in gente Antonia, Aquillia, Coruncania, Duilia, Maria, Mummia, Octavia, Sertoria ¹⁰⁾.

Cum vero senioribus temporibus plebeji jura patriciorum sibi vindicarent nec non jus connubii cum iis ineundi obtinerent et Latini, Italici, peregrini in jus civitatis reciperentur, nexus gentium et familiarum magis magisque dissolvebatur. His adde adoptiones et manumissiones, eo crebriores quo magis

si numerum eorum comparaveris cum desinentibus in *ius* non dubitabis quin rariora sint. Exempla exhibent Huebnerus in quaest. onomatol. p. 12 sqq. Grotefendus l. l. p. 48. Sed haud scio an pars ab Huebnero allatorum nominum potius cognominibus annumeranda sit; pars saltem seniorum temporum sunt, quibus labes nominum maxima erat. cf. etiam Zaccariam p. 66.

10) Cf. Plut. Marium. c. 1 (C. Marii, Q. Sertorii, L. Mummii tertium nomen ignotum); Fastos sub nominibus allatis; Panvinum p. 2043; Fabretti Inscriptt. antiqq. explicatio. 1702. p. 240. 368; Zaccariam p. 64.

gentes antiquae exstinguerentur, crescentem libidinem titulorum nominumque gerendorum numerum augendi ¹¹⁾. Quo magis igitur pristinus reipublicae status mutaretur, eo celerius convertebatur gentium familiarumque ratio nec non nominum. Quo factum est, ut ultimis reipublicae temporibus magna nominum indendorum licentia irriperet, quae Imperatorum temporibus indies aucta, rem postremo, nullius fere legis ratione habita, in libero poneret arbitrio ¹²⁾.

Inter mutationes usitatissimas, quas subiit nominum ratio senioribus temporibus, numeranda est coacervatio nominum, imprimis gentilium, Imperatorum praecipue temporibus obvia. Non solum duo, sed multo plura nomina gentilicia gerere solebant, cujus usus exempla attulerunt Cannegieterus ¹³⁾, Zaccaria ¹⁴⁾, Grotefendus ¹⁵⁾, Orellius ¹⁶⁾ alii et satis copiose exhibent inscriptiones. Exemplum memoratu dignissimum hujus generis reperitur in inscriptione Orelliana 2761, vir plus triginta nominibus ornatus. Origo hujus rei quaerenda videtur partim in receptione nominis gentilicii patris et matris, nec non avi paterni maternique cet., partim in adoptionibus, partim in eo quod peregrini in civitatem recepti suis nominibus eorum nomina addere solerent, quorum beneficio civitatem adepti essent, partim fortasse imitando more Italicarum gentium, quarum nonnullae ut Osci, Sabelli alii duo nomina gentilicia sibi imponere solebant, partim in nominum gerendorum libidine ipsa ¹⁷⁾.

11) De vi, quam peregrinorum in civitatem Romanam receptio exercuerit in nominum labem, uberius egit Cannegieterus p. 4 sq.

12) De his mutationibus cf. opera Cannegieteri, Zaccariae p. 87 sqq., Zellii p. 103 sqq.

13) l. l. C. VII. p. 29 sqq.

14) l. l. p. 107.

15) l. l. p. 44 sqq.

16) l. l. No. 2759 sqq.

17) Cf. Cannegieterum p. 30 sq. Zaccariam p. 107 sq. E multis exemplis Imperatoris Antonini Pii nomen afferre liceat: Titus Au-

Re, de qua egimus, adducimur ad quaestionem alteram. Romanorum enim scripta et inprimis inscriptiones perlustrantes incidimus saepius in nomina composita e praenomine et duobus (vel pluribus) nominibus desinentibus in *ius* vel composita solummodo e duobus nominibus in *ius* exeuntibus, omisso praenomine. Quaeritur, utrum posterius horum nominum habendum sit alterum nomen gentile, an cognomen cadens in terminationem *ius*. Sigonius¹⁸⁾ quidem et Panvinus¹⁹⁾, post eos Maffei²⁰⁾ et Hagenbuchius²¹⁾ et eorum auctoritate nixi Zaccaria²²⁾ et Zellius²³⁾ contenderunt, cognomina terminata syllabis *ius* in usu non fuisse et exempla hujuscemodi aut incerta aut falsa esse. Mihi vero haec res non omni dubitatione vacare vel tantum restrictione quadam contendere posse videtur. Ad certum quidem finem hanc rem non nisi accuratissime perlustratis et collatis omnibus Romanorum Graecorumque scriptoribus et inscriptionibus numisque perducere in promptu est. Verisimilitudinem quandam tamen nactus esse mihi videor, in hunc finem pluribus scriptoribus (ut Sallustio, Caesare, Livio, Tacito, Suetonio, Scriptoribus historiae Augustae, Cicerone, Quintiliano, Varrone [L. L.], Gellio, Plinio [N. H.], Polybio, Diodoro, Dionysio, Plutarcho, Appiano, Dione), Fastis consularibus et inscriptionum collectionibus (Gruteri, Muratorii, Fabretti, Orellii, Mommsenii) diligenter perlustratis.

Exempla nominum e tribus nominibus compositorum, quorum ultimum cognomen desinens in *ius* haberi possit, apud Sallustium et Caesarem non reperi; nam C. Virgilius Petronius

relius Fulvus Bojonius Antoninus Pius, cujus pater fuit Aurelius Fulvus, avus paternus T. Aurelius Fulvus, avus maternus Arrius Antoninus, avia materna Bojonia Procilla. Cf. Jul. Capitol. Ant. Pius c. 1.

18) l. l. p. 1974.

19) l. l. p. 2038.

20) (Maffei) Muesum Veronense. 1749. CVIII. 2.

21) Hagenbuch: de diptycho Bresciano. 1749. p. CLIX (a Zaccaria p. 78 laudatus).

22) l. l. p. 78 sq.

23) l. l. p. 96.

(Caes. B. Afr. 28) nonnullorum librorum emendandum est C. Virgilius praetorius²⁴⁾. Ceterum Petronius nomen gentile, quo utebantur plures familiae²⁵⁾.

Apud Livium unum tantum hujus generis exemplum inveni (XXII. 34), Q. Baebium Herennium tribunum plebis. Sed monendum est, Herennium alibi nominis gentilicii locum tenere, cum in scriptoribus, tum in Fastis et inscriptionibus; gentem Herenniam e Samnitibus originem duxisse, ex quorum more erat duo nomina terminata in *ius* (gentilicia, ut videtur) adhibere; lectionem Herennius denique dubiam esse, cum Cod. Pal. 2. exhibeat Herennicus, Flor. Herenicus²⁶⁾. Fortasse praetuleris cum Ellendtio (p. 53) lectionem Herennianus. Si vero Haakhuis in Paulyi Encyclopaedia (v. Gens Herennia) M. quendam Octavium Herennium affert, nixus Macrobiani (Sat. III. 6) et Servii (ad Aen. VIII. 363) auctoritate, in errore versatur; apud Macrobianum Codd. exhibent Herenus²⁷⁾, Servius vero habet Eserminus sive Hersennus²⁸⁾.

Apud Ciceronem quidem occurrunt nonnulla nomina cum duobus nominibus terminatis in *ius*, sed in omnibus fere alterum nomen alias nominis gentilicii locum tenet. Pluries quidem nominantur notissimi illi Triarii, L. (Valerius) Triarius, Luculli legatus bello Mithridatico, P. (Valerius) Triarius, qui Scaurum postulavit repetundarum, et C. (Valerius) Triarius, qui in libris de finibus bonorum et malorum loquens inducitur²⁹⁾, qui Asconio teste (in Scaur. p. 19 Orelli) nomine gentilicio Valerii usi sunt. Sed Triarium, scripserunt saltem temporibus loco nominis gentilicii adhibitum fuisse, elucet ex Jul. Capitol. (Pertinax. c. 6. Triarius Maternus Lascivius, senator nobilis,

24) Cf. Oudendorpii ed. Caesaris; Onomasticon Tullianum v. C. Virgilius (Virgilius) p. 640.

25) Cf. Glandorpii Onomasticon hist. Rom. 1589. p. 674 sqq.

26) Cf. Drakenborchium (ed. nova) ad Liv. XXII. 34.

27) Cf. Jani ed. Macrobiani. 1852. Sat. III. 6. 11.

28) Cf. Servium ad Aen. VIII. 363 (Barmanni ed. Virgilii).

29) Cf. de iis Onomast. Tull. p. 632 sq. Quia v. Valerii.

agnomine apposito), e Fastis (Triarius Rufinus cos. 962) et inscriptionibus (Gruter. 300. 1. Triarius Rufinus cos.; Mommsen. 3397. L. Triarius L. l. Hermogenes)³⁰). — In Q. Postumio et Cn. Postumio Curtiis (Verr. secunda. I. 39. 100) Curtius notissimum nomen gentilicium est. — In A. Caninio Satrio (ad Att. I. 1. 3) eodem modo Satrius nomen gentile, quod saepius exhibent inscriptiones. — P. Fulvii Neratii (pro Flacco. XX. 46) ultimum nomen similiter gentile est (cf. Fastos et inscr. apud Grotefend. p. 46); praeterea Asconius (in Mil. p. 40. 54 Orelli) exhibet Neratus. — C. Metellus Caprarius (de orat. II. 66. 267 cet.), filius Q. Caecilii Metelli Macedonici, pleno utebatur nomine C. Caecilius Metellus Caprarius (cf. Fastos et Onomast. Tull. p. 101. 103); Caprarius igitur haud dubie agnomen est³¹). Quamquam concedendum est, cognominis et agnominis discrimen non semper observatum fuisse et nonnunquam accidisse, ut cognomen pro agnomine diceretur. — M. Annii Appii (pro Balbo XX. 46) non erat Romanus, sed Camers a Mario civitate donatus. — M. Pomponius Dionysius (Att. IV. 15. 1) Attici libertus erat. Hujusmodi exempla haud rara in inscriptionibus, qua de re infra. Quod spectat denique P. Calpurnium Lanarium (de off. III. 16. 66), nomen gentile Lanarii non omnino ignotum. (Grut. 1070. 2. Argyrius (?) Lanarius Domitianus. 48. 2. Argyrius Lanarius Domitianus L. L.; sed etiam 99. 5. L. Domitius L. L. Argyrius Lanarius.)

Tacitus (Annal. XIII. 30) insolitum nomen C. Aminius Rebius exhibet, quod corruptum videtur³²). Gens Aminia valde dubia est, nomen Rebii vix alibi reperiatur; fortasse igitur cum Lipsio legendum Caninius Rebilus. Notissimus ille C. Caninius Rebilus, qui unius diei consul fuit (Facti 703), quem Cicero (ad fam. VII. 30. 1 et alibi) commemorat. De eodem Tac. H. III. 37. Suet. Nero. 15. Caes. 76. Dio XLIII. 46. Apud Caesarem

30) Cf. etiam Glandorpium p. 850. Fabrettum p. 652. 449.

31) Cf. de Caprario etiam Zaccariam p. 86.

32) Var. lect. Caminius Robius, Annaeus Rebius, Caninius Rebilus. cf. Gronov. et Bekkeri ed. Taciti.

saepius reperies (ut Bell. Gall. VII. 53. B. civ. 26. B. Afr. 93. B. Hisp. 35). C. Caninium Rebilum habet Liv. XLII. 28. 31. M. Caninium Rebilum idem XLV. 42³³). — A. Tacito (A. III. 22. 23) commemoratur P. Quirinius, qui A. III. 48. Sulpicius Quirinius vocatur, pleno nomine igitur P. Sulpicius Quirinius. Sed Codd. exhibent et lectionem Quirinius et Quirinus, et Quirinus non Quirinius erat cognomen Sulpiciorum, ut elucet e Fastis. Etiam si Tacito teste Sulpicius ille Quirinius non pertinuit ad veterem et patriciam Sulpiciorum familiam, eorem saltem nomen sibi sumpserat³⁴).

Apud Suetonium (Vesp. 1) quidem legitur T. Flavius Petronius, duobus nominibus gentilicis apposis; sed quaeritur sitne legendum Petro³⁵).

Varro quidem dicit, Veturios nobiles a cicure Cicurios cognominatos fuisse³⁶); sed cognomen vel potius agnomen eorum non erat Cicurius, sed Cicurinus, ut docent Fasti, et Veturiorum Crassorum, et Veturiorum Geminorum.

Si Zellius (sibi parum constans, cum cognomina in *ius* desinentia exstitisse neget) in indicem cognominum recipit Caesonius cognomen Calpurniorum, Flaminius Quinctiorum, Licinius Fabiorum et Porciorum, Mancinius Hostiliorum, Saturnius Sentiorum, evidenter in errore versatur; hae familiae utebantur cognominibus Caesoninus, Flaminius, Licinus, Mancinus, Saturninus. Idem valet de Porciis Liciniis, quos affert ex Livio Rupertius³⁷); meliores editiones ubique exhibent Licinus. Jam

33) De Caniniis cf. Glandorpium p. 162. Drumann: Gesch. Roms in seinem Uebergange von der Republ. zur monarch. Verfassung. Nach Geschlechtern. 6 Bde. 1834—44. II. 107 sqq.

34) Cf. etiam Mus. Veronensc. C. VIII. 2. Zaccariam p. 79. Weichert: Poëtarum Lat. reliquiae. 1830. p. 206.

35) Cf. Burmannum ad l. l. Suetonii.

36) Varro de Lingua Lat. Ed. Spengel. 1826. p. 368 (VII. 91. ed. Müller. 1833). Codd. exhibent Cicurii, vulgata Cicurini.

37) Rupertii: Tabulae genealogicae sive stemmata nobiliss. gentium. Rom. 1794. p. 182.

Sigonius³⁸⁾ et Panvinus³⁹⁾ monuerunt, apud Livium legendum esse Fabium Licinum, Quinctium Flamminum, Marcium Rutilum, Furium Pacilum, non Licinium, Flaminius, Rutilium, Pacilium.

Ultimo loco afferam poëtas C. Caecilium Statium, initio servum⁴⁰⁾, cujus nomine ultimo saepius Romae servi uti solebant, et P. Papinium Statium. Accedit quod Staius etiam inter nomina gentilicia numeratur. S. Aurelius Propertius se ipsum peregrinum, in Umbria natum fuisse confitetur⁴¹⁾; etiam Propertius nomen gentile (Propertius Celer. Tac. A. I. 75. Q. Propertius Secundus. Grut. 952. 4. Propertius Blaesus. Murat. 1723. 4. alii). Q. Claudii Quadrigarii historici vero ultimum nomen gentilicium fuisse non videtur; unde originem duxerit et nomen acceperit ignotum est.

Eadem ratio est eorum nominum, quae composita sunt e duobus tantum nominibus desinentibus in *ius*; haec omnia fere constant e duobus gentiliciis nominibus. Hujusmodi nomina saepissime apud Livium reperiuntur. Sine ulla fere exceptione vero viri, his nominibus praediti, non fuerunt Romani, sed Campani, Samnites, Marrucini cet., ex illis igitur gentibus Sabello-Occis, in media aut inferiore Italia viventibus, oriundi, majore ex parte Romanorum vicini. Romanorum apud Livium solum Pontium Cominium habeo, quem commemorem (V. 46). Hujus nomen vero e duobus nominibus gentiliciis constat. Romanus quidem traditur, num vero re vera originis Romanae fuerit, quaeritur. Pontia saltem clarissima gens Samnitica erat, quod probant C. Pontius Herennii filius (Liv. IX. 1 sqq.) et Pontius Telesinus (Vellej. II. 27)⁴²⁾. Ex illarum gentium more

38) l. l. p. 1974.

39) l. l. p. 2038.

40) Gell. IV. 20. 12, 13.

41) l. 22 (23) extr. IV. 1. 64.

42) Et Cominiorum familiam Sabello-Oscae originis fuisse putat Huschkius: die Oskischen und Sabellischen Sprachdenkmäler. 1856. p. 395. Livius (II. 18. 33) Posthumum Cominium commemorat consulem; idem in Fastis 252. 260. Postumus Cominius Auruncus nominatur.

fuisse videtur e duobus nominibus gentiliciis vel saltem e duobus nominibus terminatis in *ius* componere nomina⁴³⁾. Quod testantur, ut e multis nonnulla proferam exempla, Campani Ovius, Novius et Ofilius Calavii (Liv. IX. 26. IX. 7), Pacuvius Calavius (XXIII. 2), Decius Magius (XXIII. 7. 8. 10), Marius Alfius (XXIII. 35), Marius Blossius (XXIII. 7), Vibius Verrius (XXIII. 6), Samnites Pontius Herennius (IX. 1 sqq.), Appius Herdonius (III. 15), Gellius Egnatius (X. 18. 21. 29), Marius Egnatius (Ep. LXXIII), Marrucinus Herius Asinius (Ep. LXXIII. cf. Vellej. II. 16. App. Bell. civ. I. 40), auctor gentis, ut videtur, Romanorum Asiniorum⁴⁴⁾. Multa alia hujusmodi exempla proferunt Huschkius⁴⁵⁾ et Mommsenius⁴⁶⁾, quae simul documento sunt, quam late per magnam Italiae partem hic usus propagatus fuerit. Nec Latinis haec nominis ratio defuisse videtur, ut probant nomina Mettii (Metti) Fuffetii dictatoris Albani (I. 23) et Octavii Mamiliii dictatoris Tusculani (I. 47 cet.) aliorum (cf. Fabrett. 645. 386 = Orell. 1822. C. Scilius Nigerius Praenestinus, praenomine adhibito). Illud nomen, quod locum praenomine tenet, re vera nomen gentilicium esse, nomina igitur ista e duobus gentiliciis composita esse, eo probatur, quod omnia fere haec nomina alibi nomina gentilicia sint⁴⁷⁾, et eo, quod modo ante nomen gentilicium ponantur, modo post, ut Staius Gellius (IX. 44) et Gellius Egnatius (X. 18. 21. 29), Herennius Cerrinius (XXXIX. 13) et Cerrinius (Cerrinus?) Jubellius (XXIII. 46. 47. cf. XXIII. 3. XXVI. 15), simili modo ut Decius Jubellius (XXVIII. 28⁴⁸⁾). Usus duorum nominum apud illas gentes inde originem duxisse, quod nomini paterno

43) Cf. Mommsen: die unteritalischen Dialecte. 1850. p. 240 ff. Huschke l. l. p. 335 sq. Götting: Gesch. der Röm. Staatsverfassung. 1840. p. 5 sqq. Grotefend l. l. p. 28 sqq.

44) Cf. Drumann l. l. II. 1 sq. Ruperti l. l. p. 28.

45) l. l. p. 141 sqq. 245 sqq. 389 sqq. (Glossar).

46) l. l. p. 169 sqq. 244 sqq. (Glossar).

47) Cf. etiam Huschkius l. l. p. 336. Mommsenius p. 243.

48) Cf. etiam Göttingium p. 6. Grotefendum p. 32 sq.

adderetur maternum, Göttingius contendit⁴⁹); hoc non verisimile esse putat Huschkius, cum inscriptionum auctoritate destituta sit haec opinio⁵⁰).

Cum singula nomina, e quibus composita sunt nomina apud Livium commemorata, perpaucis exceptis, ut Herdonius in Appio Herdonio (III. 15), Romana sint nomina gentilicia, partim notissima (Octavius, Decius, Curtius alia), partim minus nota (Magius, Vibius alia), concludendum est, haec nomina aut Romanis et illis gentibus communia fuisse, aut ab illis ad Romanos transiisse, cum Italiae civitates sensim sensimque reciperentur in rempublicam Romanam. Talia nomina gentilicia more Romano cum cognomine etiam conjungi solita esse, probat nomen Jubellii. Decius Jubellius (Liv. XXVIII. 28), Jubellius Taurea (XXIII. 8. cf. XXVI. 15. Taurea Jubellius), Cerrius Jubellius cognomine Taurea (XXIII. 46). Idem valet de Pontio Telesino (Vellej. II. 27), de Minatio Tlemetio Fimulo (Huschke p. 154).

Apud Caesarem exstat nomen Clodii Aquitii (B. Hisp. 23), cujus nomen posterius non est gentile. Aquitius fortasse? Gruterus 961. 5 exhibet inscriptionem Narbonensem, ubi legitur: M. Aquitio M. L. Geniali. M. Aquitio L. Fido.

Pauca hujusmodi nomina, quae leguntur apud Ciceronem, dubia sunt. Loco Caninii Salustii (ad fam. II. 17. 1) videtur legendum esse Caninius Salustianus vel C. Annus Salustianus⁵¹); praeterea Caninius et Salustius nomen gentile. — Loco Quintii Gallii (ad fam. XIII. 43) Codd. etiam exhibent Q. Gallius, Q. Gallus⁵²); Gallius etiam nomen gentile. — Pompeji Percennii (Verr. secunda. IV. 11. 25) Mamertini a Pompejo civitate do-

49) Götting. p. 5. Grotefend. p. 34.

50) l. l. p. 336. Si Göttingius nititur eo, quod apud Livium XXXIX. 13 commemoretur Paculla Minia cum filio Minio Cerrinio, monendum est, lectionem Minia Codd. auctoritate non satis confirmatam esse, qui modo exhibeant Minia modo Annia. Cf. Drakenborchium ad Liv. XXXIX. 13.

51) Cf. Onomast. Tull. p. 128.

52) Ibid. p. 505.

nati⁵³); Percennius non minus nomen gentile. — Numerius Aurius (pro Cluent. VII. 21) non Romanus est, sed Larinas; praeterea Numerius et praenomen et nomen gentile est; Aurius vero, quod alibi (quantum equidem scio) nomen gentile non reperitur, nominis gentilicii locum etiam tenuisse, liquet ex A. Aurio Melino (pro Cluent. V. 11)⁵⁴). — Pro Statio Albio (pro Cluent. LXII. 175) colono fortasse legendum Sex. Attius⁵⁵). Stadius Albius Oppianicus (pro Cluent. IV. 9. VII. 20. VIII. 23 cet.) Larinus est; ejus nomen ut antecedentis e duobus gentiliciis compositum, addito cognomine.

Apud Tacitum, qui rarius adhibet tria nomina, saepissime duo tantum (vel etiam unum), nomen cum praenomine, cognomen cum praenomine, nomen et cognomen, saepius quidem reperiuntur duo nomina desinentia in *ius*; sed in nonnullis lectio aut dubia aut omnino falsa, in aliis fere sine ulla exceptione duo nomina gentilicia sunt. Sic nomina Fulvius Aurelius (H. I. 79. Jul. Capitol. Ant. Pius c. 1. habet Aurelium Fulvum, patrem Imperatoris Antonini), Roscius Caelius (H. I. 60), Stadius Domitius (A. XV. 71) e duobus nominibus gentiliciis composita sunt. Loco Arrii Antonii (H. I. 77.) legendum videtur Arrius Antoninus (Spart. Hadr. 24. Jul. Capitol. Ant. Pius 1. Ejusd. Pertinax. 3. Lampridii Commodus 7. habent Arrium Antoninum); loco Domitii Sillii (A. XV. 59) Domitius Silus; pro Julio Antonio (A. III. 18. IV. 44) Julius Antonius. Praeterea tria nomina ultimo loco allata pari modo e duobus gentiliciis formata sunt. Tantum quod attinet ad Subrium Flavium, qui etiam legitur Subrius Flavius (A. XV. 49. 58. 65. 67) monendum est, gentem Subriam ignotam esse. In Pio Aurelio denique (A. I. 75) gens Pia vix reperiatur; Pius alias tantum agnominis locum tenet. Hoc loco aut agnomen Pius praenominis loco adhibitum esse videtur, ut alibi cognomen, cujus rei non

53) Ibid. p. 486.

54) Ibid. p. 91.

55) Ibid. p. 27.

desunt exempla, ut Nero Claudius Drusus alia⁵⁶), aut nomen et agnomen compositum, et transpositione quidem nominum adhibita, ut in Fulvio Pio (Spartiani Severus c. 1) et T. Aurelio Pio (Grut. 530. 7).

Apud Suetonium Servius Clodius (Illustr. Gramm. 2) et Servius Sulpicius (Caes. 29. 50) aut nomen et praenomen aut duo gentilicia nomina gerunt; pro Cornelio Epicadio (Illustr. Gr. 12) legendum videtur Epicadus (cf. Burmannum ad h. l.); pro Julio Antonio (Claud. 2. Illustr. Gr. 18) Julius Antonius (cf. Burmannum ad h. l.), simili modo ut apud Tacitum l. l. — In Illustr. Gr. c. 6. Aurelius Opilius scriptor, libertus, reperitur et cognominis Opilii ejusdem mentio fit; sed Opilius nomen gentile est, ut liquet e nomine Imperatoris Opilii Macrini apud Jul. Capitolinum (Fasti exhibent lectionem Opelii), Opilio Macrino (sine dubio eodem qui postea Imperator) et Opilio Ulpiano (Cod. IX. T. 1. 51. L. 1.) et M. Opilio Restione (?) (Grut. 87. 4) et compluribus feminis hujus nominis (Inscr. Murat.) (cf. Glandorp. p. 642).

Gellius habet Servium Claudium (XIII. 23. 19) aut nomine et praenomine, aut duobus nominibus gentiliciis; Aurelium Opilium (I. 25. 17) et Servium Sulpicium (II. 10. 1.), de quibus modo egimus. — Pro Claudio Asello (VI. 11. 9) quidem legitur etiam Asellius. Sed idem II. 20. 6 et III. 4. 1. Tiberius Asellus vocatur. Apud Livium XXIII. 46. Claudius Asellus; apud Ciceronem de orat. II. 64. 258. II. 66. 268. Claudius Asellus (cf. Onomast. Tull. p. 154). Apud Appian. Bell. Hannib. 37. Claudius Asellus. Praeterea Asellius nomen gentile, ut liquet ex Asellio Sabino (Suet. Tib. 42), Asellio Claudiano (Spartiani Sever. c. 13), L. Asellio (Dio. XLIX. 43). Gens Asellia reperitur etiam in inscriptionibus. Mommsen 4882. N. Asellius Clemens. N. Asellius N. l. Ivinus. 4791. C. Asellius Rufus. 2973. L. Asellius L. f. Mamilianus. L. Asellius L. l. Hermes. — Pro Largio Licinio (XVII. 1. 1) legendum videtur Largius Licinus.

56) Cf. Cannegieterum p. 7.

Largius Licinius quidem reperitur etiam apud Plinium (Ep. II. 14. III. 5); sed utrumque nomen gentile est. Sp. Largius (*Λάγχιος*) Flavus (Dionys. V. 36. VII. 68) vero et T. Largius (*Λάγχιος*) Flavus (Dionys. V. 50. 59. 72 sqq.) non Largiis annumerandi sunt, sed Lartius (Larcius), ut intelligitur e Livio et Fastis. De Largiis cf. Glandorp. p. 517 sqq.

Apud Quintilianum nomina Manius Curius (VI. 3. 72. Manius quidem praenomen, sed et utpote nomen adhibitum), Vibius Curius (VI. 3. 73), Sergius Flavius (VIII. 3. 33. nisi forte Verginius Flavius), Servius Sulpicius (IV. 2. 106. X. 1. 22. X. 1. 116. XII. 3. 9 alibi, de quo jam supra) e duobus nominibus gentiliciis composita sunt. Accium Navium (VI. 3. 69) his vix annumerabis; ceterum lectio dubia (cf. Spalding. et Zumpt. ad h. l.; forte Tuccius. Zumpt.) et Navius nomen gentile quod in inscriptionibus saltem reperitur.

Pauca hujusmodi nomina, quae in Plinii H. N. leguntur, aut e duobus nominibus gentiliciis composita, aut peregrinorum sunt. Lartius Licinius (Licinus?) (XIX. 35. XXX. 24 Sillig.), Flavius Alfius (Flavus? cf. Ind. L. IX) (IX. 24) duo nomina gentilicia exhibent; Servius Clodius (XXV. 24) et Spurius Nautilus (XXXIV. 23) aut nomen cum praenomine aut duo nomina gentilicia; de Servio Sulpicio (II. 47. XXVIII. 26. XXVIII Ind.) jam supra. Cassius Dionysius (XI. 40. cf. XXV. 8. VIII. Ind.) peregrinus est, haud dubie etiam Sallustius Dionysius (XXXII. 80.) Idem sine dubio dicendum est de Publilio Lochio sive Publio Lochio (XXXV. 199), nisi legendum Publius Lucilius (cf. Silligii not.).

In scriptoribus adeo historiae Augustae, quorum tempore licentia in nominibus capiendis maxima erat, satisque multa nomina coacervata inprimis Imperatorum reperiuntur, pauca tantum hujuscemodi nomina (composita e duobus nominibus desinentibus in *ius* sine cognomine) exstant, eaque e duobus nominibus gentiliciis composita. Praeter Imperatorem Avidium Cassium, Cassium Papirium (Jul. Capitol. Clod. Alb. c. 10), Cejonium Postumium (Ibid. c. 4), haud multa, forsitan nulla repe-

riantur. De Fulvio Pio (Spart. Sever. c. 1) jam supra egimus ad Tac. Ann. I. 75.

Si postremo respicimus historicos Graecos, ut Polybium, Dionysium, Diodorum, Plutarchum, Appianum, Dionem, nos non fugiet, apud eos hujusmodi nomina rarius reperiri quam apud Romanos. Apud scriptores tempore reipublicae et aetate Augusti viventes, ut in Polybii, Dionysii, Diodori scriptis, talia nomina occurrere non videntur, nisi forte Modium Fabidium (Dionys. II. 48) in horum numero ponere velis, is vero Sabinus est et ad tempora mythica pertinet. In Plutarchi Vitis pauca hujusmodi exstant nomina, ut Livius Posthumius (Romul. XXIX. 7), Latinorum dux, cujus nomen e duobus gentiliciis compositum; Veturius Mamurius (Noma XIII. 3), haud dubie Samnis mythicisque temporibus annumerandus; Calpurnius cognomine Lanarius (Sertor. VII. 3), de quo supra; Caninius Rebilus (Caes. LVIII. 1), idem de quo supra egimus, cujus nomen posterius non Rebilus, sed Rebilus. Apud Appianum, scriptorem seculi secundi p. Chr. n., quo nominum coacervatio jam usitatissima erat, equidem hujusmodi nomina non reperi; Dio vero, qui serius etiam opus suum composuit, talia nomina habet, sed perpauca eaque e duobus nominibus gentiliciis composita. Hujus generis est Flavius Subrius (LXII. 24), de quo supra. Huc pertinet Apicius, notissimus ille heluo Augusti et Tiberii aevo, qui etiam a Seneca (ad Helviam matrem X. 2), Plinio (N. H. VIII. 209. IX. 66. X. 133. XIX. 137. 143), Tacito (A. IV 1.) aliis commemoratur. Dio (LVII. 19) M. Gabium Apicium cum vocat. Sed et Gabius et Apicius nomina gentilicia sunt. (Gabius Bassus praefectus orae Ponticae. Plin. Ep. X. 32. C. Gabius Senecio. Murat. 1680. 10. 2092. 4. De Apiciis cf. Lips. et Murat. ad Tac. Ann. IV. 1. Glandorp. p. 104 sqq.). M. Julius Cottius (LX. 24) non est Romanus; praeterea gens Cottia saepius reperitur in inscriptionibus. Papirium Dionysium (LXXII. 13. 14), qui evidenter peregrinus est, his non annumerabis.

Sed haec exempla protulisse sufficiat. Nullo modo infigiari volumus, accuratius etiam perlustratis scriptoribus, qui a nobis

in examen vocati sunt ceterisque quos non examinavimus, inveniri posse plura etiam nomina composita e duobus nominibus terminatis in *ius* et talia fortasse, quorum posterius nomen inter gentilia non referri possit. Tamen perpensis iis quae attulimus, concludere posse nobis videtur, nomina e duobus vocabulis in *ius* exeuntibus composita, inprimis reipublicae temporibus, rariora fuisse, talia vero, quorum alterum nomen non sit gentile, rarissima, ut exceptiones tantum haberi possint. Ceterum non praetermittendum est, fieri potuisse, ut nomen, quod nos pro gentilicio habere non possimus, re vera tamen utpote gentile adhibitum fuerit a Romanis. Nihil enim impedit, quin nomen aliquod usitatum apud unum tantum scriptorem vel semel tantum apud omnes scriptores reperiatur.

Prolata a nobis sententia insigni modo confirmatur Fastis. In toto Fastorum indice, multas centurias nominum ex omnibus fere Romanorum reipublicae et imperii temporibus exhibente, exceptis serioribus temporibus, tantum nomina reperies quae sequuntur usum pristinum, aut tria plena nomina, aut nomina cum praenomine solo, omisso cognomine, aut nomina cum praenomine et duobus cognominibus, aut denique a tempore coacervatorum nominum duo vel plura nomina cum cognomine vel pluribus cognominibus, nusquam vero duo nomina terminata in *ius* sine cognomine. Hujuscemodi nomina demum occurrunt iis temporibus, ubi nomina coacervare et maxima licentia in nominum ratione uti solebant Romani. Haec nomina omnia fere Imperatorum sunt, eaque coacervata, aliorum virorum vero rarissima et ultimorum quidem temporum, ut Pomponius Januarius cos. 1040, Afranius Syagrius cos. 1134, Vettius Agorius Basilius Mavortius cos. 1279.

Disquisitione nostra docuimus, reipublicae et primis imperii temporibus in omnibus fere nominibus, e duobus in *ius* desinentibus compositis, posterius nomen pro gentili habendum esse. Hac re etiam probasse nobis videtur, in omnibus his nominibus alterum nomen re vera nomen gentile fuisse, non cognomen terminatum in *ius*, nomina igitur ista e duobus no-

minibus gentiliciis composita fuisse. Nam nomen gentile locum quidem mutare vel loco alius nominis poni potest, nec tamen desinit esse nomen gentile. Ut nomina gentilicia loco praenominum ponebantur, cujus rei exempla imprimis in inscriptionibus exstant⁵⁷), ita etiam cognominis locum capere potuerunt. Multo enim magis naturae consentaneum nobis videtur ponere, serioribus temporibus usitatum fuisse loco cognominis alterum nomen gentile, quam putare, nomen cum terminatione nominis gentilicii (in *ius*), cum eum locum teneat, quem cognomen tenere soleat, cognomen cum terminatione alias insolita (in *ius*) fuisse. Quare Cannegieterus et Zellius non dubitaverunt nomina Julius Antonius, Fulvius Aurelius, Roscius Caelius, de quibus supra egimus, et similia agnoscere pro nominibus e duobus gentiliciis formati⁵⁸). Qua quidem re eo minus offendi possumus, si meminerimus, antiquissimis jam temporibus plures gentes solo nomine cum praenomine, omisso cognomine, usas esse et coacervationem nominum gentilium serius usitatissimam fuisse. Ut igitur antea uno nomine sine cognomine utebantur, ita serius duobus nominibus sine cognomine, coacervatis scilicet gentiliciis. Ceterum quaeritur, num in omnibus nominibus hujus generis plena nobis nomina a scriptoribus tradita sint. Sententia nostra eo minus veritate destituta esse videtur, si reputemus, nomina gentilicia certa quadam lege, ut vidimus, in *ius* formata fuisse, cognomen vero evidenter hanc formam sprevisse, si meminerimus, gentes Osco-Sabellas nomina sua e duobus nominibus gentiliciis composuisse, si denique perpendamus, talia nomina (cum duobus nominibus in *ius*) prioribus temporibus rarissima vel forsitan nulla fuisse (cf. Sallustium, Caesarem, Livium, Cicronem), paulatim hunc usum percrebruisse (cf. Tacitum, Suetonium, Quintilianum, Gellium,

57) Exempla sunt Flavius Claudius Sulpicius (Fasti 945), Flavius Marius Ulpius Sabinus (Fabrett. 687. 96), Aurelius Flavii filius Flavianus (Grut. 533. 1), Flavius Umbrinus Fortunatus (Mommsen 1612). Cf. etiam Cannegieterum p. 8. Zellium p. 103 sq.

58) Cf. Cannegieterum p. 8. 105. Zellium l. 1.

Scriptores historiae Augustae), donec ultimis temporibus creberima fierent (cf. Inscriptiones). Nos igitur putaverimus, in nominibus hujus generis potius quaerendum esse initium coacervatorum nominum gentilium et morem Osco-Sabellorum aliorumque vim exercuisse in usum Romanum.

Paucorum nominum, in quibus ultimum nomen gentile esse non probari potest, eadem sine dubio ratio est, aut gentilicia habenda sunt quae semel tantum offeruntur, aut exceptionibus rarissimis annumeranda.

Quibus rationibus ducti persuasum nobis est, valde dubium esse, num cognomina desinentia in *ius*, reipublicae saltem et primis imperii temporibus, re vera exstiterint⁵⁹).

Ultimo loco quaeritur, utrum inscriptiones opinioni nostrae faveant, an repugnent. Quamquam exhibent permulta nomina, composita e duobus pluribusve nominibus terminatis in *ius* addito cognomine, satis tamen notum est, reperiri multa ejusmodi nomina omisso cognomine. Concedendum est, in aliis lectionem *ius* falsam, emendandum esse *us*, in aliis abbreviatis nomen abbreviatum tribus, non gentis esse⁶⁰); numerus tamen eorum, in quibus haec explicandi ratio non valet, satis magnus est. Si vero perpendimus, e reipublicae temporibus perpauca tantum exstare inscriptiones, plurimas Imperatorum, partem ultimis imperii temporibus compositas esse, quibus nulla fere regula observata maxima uterentur licentia Romani, si reputamus et in inscriptionibus saepissime duo vel plura illorum nominum gentilicia probari posse⁶¹), alia libertorum nomina esse⁶²), alia

59) Ellendtii index locupletissimus cognominum quatuor tantum exhibet desinentia in *ius*, Caprarius, Herennius, Pius, Triarius, de quibus supra egimus.

60) Cf. (Maffei) Mus. Veronens. CVIII. 2. Zaccariam p. 79. Hagenbuchium: de dipt. Bresc. CLIX (apud Zaccariam).

61) Exempla sunt T. Annius Claudius (Grut. 931. 10), M. Annus Januarius (Grut. 25. 3), L. Aelius Marius (Murat. 1945. 8), P. Aelius Licinius (Murat. 1365. 11), T. Aelius Antonius (Mommsen 635. II. 25), C. Alfius Licinius (Mommsen 5340).

62) Exempla sunt C. Autronius L. L. Tertius (Grut. 933. 14), C. Corfidius P. L. Demetrius (Grut. 937. 4), C. Aconius C. L. Stadius (Murat.

militum, qui Imperatorum quorum indulgentia civitatem adepti essent nomina saepissime suis addere solerent⁶³), alia peregrinorum in civitatem receptorum⁶⁴), quae partim jam insolito sono originem produnt⁶⁵), si meminimus argumentorum modo allatorum, ubi egimus de nominibus quae exhibent scriptores et Fasti, sententia a nobis prolata in re summa impugnari non posse videtur. Sed infitiamur nolumus, serioribus ac potissimum ultimis Imperatorum temporibus, quibus gentium familiarumque nexus omnino solutus erat maximaque in nominum rationem licentia irrepererat, a pristino etiam more cognominum formandorum decedere et cognomina desinentia in *ius* formare coepisse Romanos⁶⁶).

Agendum est post omnia de nominum filiabus imponendorum ratione. Praemittenda esse videntur quaedam ad nomina filiorum spectantia. Prioribus temporibus qui e familia erant masculini generis praenomine distinguebantur, posterioribus vero saepius diversis cognominibus utebantur. Tres filii M. Annaei Senecae rhetoris cognominabantur Novatus (vel Gallio postquam

1622. 10), C. Acbutius C. L. Dius (Murat. 1614. 28), T. Aelius Dionysius Aug. L. (Murat. 990. 1), P. Alfius P. L. Dionysius (Mommsen 4398), T. Claudius Aug. L. Gratus (Orelli 2936), L. Flavius Aug. L. Primigenius (Orelli 2967), C. Mucius Januarius L. (Orelli 2987). cf. etiam Cannegieterum p. 35.

63) Exempla sunt M. Aurelius Vitalius (Grut. 527. 3), Ti. Claudius Aripus (Grut. 537. 6), T. Aurelius Pius (Grut. 530. 7), Crassinius Martinius (Grut. 539. 5), Aurelius Brinursius (Grut. 526. 9), Aurelius Dassius (Grut. 527. 3), Aurelius Dasimius (Grut. 527. 5). cf. etiam Cannegieterum p. 215 sp. 255 (Mon. Dadenwerdense). Zellium p. 102.

64) Exempla sunt Julius Ruesarius, Metis. (Grut. 795. 8), Q. Laelius Aesopius. Tordae in suburbio ad Bajoarium (?) (Grut. 347. 4), Aurelius Polychronius. Mediolan. (Grut. 903. 10), M. Aurelius Nymphius. Neapol. (Grut. 721. 6), Q. Papius Salvius. Amitern. (Orelli 1419).

65) Exempla generum allatorum aliorumque reperies in capitibus huc spectantibus Gruteri (p. 514 sqq. C. VI. p. 24 Ind.; p. 575 sqq. C. VII. p. 33 Ind.; p. 664 sqq. C. XIV. p. 60 Ind.), Muratorii (p. 773. Cl. X. p. 2179 Ind.; p. 883. Cl. XI. p. 2190 Ind.; p. 1123), Fabretti (C. III. p. 117; C. IV. p. 247; C. V. p. 345), Orellii (T. I. III. Cap. IX. T. II. III. Cap. XIV. XX).

66) Zaccaria etiam, qui cognomina desinentia in *ius* adhibita fuisse negat (p. 79), hoc concedit p. 105.

adoptatus erat ab Junio Gallione), Seneca, Mela (cf. Senecae Suas. I. p. 59. p. IV. Bip.). Asinius Bassus, Asinii Rufi filius (Plin. Ep. IV. 15). Rubellius Plautus, Rubellii Blandi filius (Tac. Ann. VI. 27. XIII. 19. Lips. ad XIII. 19). — Etiam fratres diversis utebantur cognominibus. Exempla, praeter Senecas jam laudatos, sunt: Sabinus et Vespasianus (Imperator), Flavii Sabini et Vespasiae Pollae filii, quorum alter patris cognomine, alter a materno nomine ducto cognomine gaudebat (Suet. Vesp. 1). Vespasianus et Domitianus, Imperatoris Vespasiani et Flaviae Domitillae filii (Suet. Vesp. 3. cf. Cannegieter. p. 10). Virgilii fratres Silo et Flaccus, ipse Maro dictus. (Donati vita Virgilii in Heynii [Wagneri] ed. Virg. I. p. LXXXV). Alia exempla vide apud Ellendt. p. 85 sq. Grotefendus (p. 47) e more Gallico fuisse putat, quod filii a nominibus patrum et fratres a nominibus fratrum diversa cognomina gererent. Exempla affert C. Vaterium Procillum, C. Valerii Caburri filium (Caes. B. Gall. I. 47), Julium Gratum et Julium Frontonem fratres (Tac. H. II. 16). — Nonnunquam cognomen a matris vel materni avi nomine ducebatur: Vespasianus Imperator (ut supra docuimus) a Vespasia matre cognominabatur (Suet. Vesp. 1. 5); Vitellii Imperatoris filius Petronianus a matre Petronia (Suet. Vitell. 6); M. Avilius Scymnianus a Flavia Scymnide matre (Fabr. 319. 426 = Orelli 2754); M. Pullienus Ingenuus ab Ingenua matre (Grut. 739. 1). Alia exempla vide in Reinesii syntagm. inscriptt. antiquar. 1682. Comment. ad I. 2. p. 6. Gordianus materni avi, qui Gordianus Imperator erat, nomen gerebat; pater Matius Marullus, mater Ulpia Gordiana (Herodian. VII. 10. Jul. Capitol. in Gordianis c. 2. cf. Cannegieter. p. 12). — Albinus Julianus a C. Albino Mascellione patre et Julia Ingenua matre nomina ducebat (Grut. 51. 2). — Filios matris (fortasse materni avi) nomen gentile gessisse, docet inscriptio bilinguis Ephes. (Murat. 443. 7): (C.) Sextilius Pollio cum Ofellia Bassa uxore et C. Ofellio Proculo f. suo; Neapolit. (Mommsen. 2457): Marciae Melissae Marcius Felix matri (nisi forte pater eodem nomine gentilicio usus est ac mater). In alia exempla, in Reines. Ind.

17. collata, relegat quidem Hagenbuchius (Epist. epigraph. 1747. p. 260); omnia vero dubia sunt, excepto XIII. 11. Valeria Maritima mater Valerius Orphitus filius.

Neque solum patres et filii fratresque diversis utebantur cognominibus, filii ipso materno nomine gentilicio, sed etiam filii nullum patris nomen, vel fratres omnino diversa nomina gerebant (cf. Zaccariam p. 91 sqq. XXXVIII. Hagenbuchium p. 261 sq.). Pater et filius omnino diversis nominibus: L. Opius Valerianus pater, A. Fulvius Celer filius (Grut. 684. 13); M. Critonius Peculiaris pater, M. Luccejus Locuples filius (Grut. 727. 5); M. Fulvius Alexander pater, Sextus Rubrius Aristobulus filius (Grut. 729. 9). Alia exempla vide apud Cannegieterum (p. 11) et in Mus. Veron. (CLV). — Fratres omnino diversis nominibus: T. Flavius Cerealis et P. Junius Frontinus (Grut. 591. 8 = Murat. 902. 1). — Etiam fratres et sorores omnino diversis nominibus: Q. Stlaccius Quintanus Tulliae Justae sorori (Orelli 2750) (nisi forte non eodem patre nati). — Pater et filii, fratres et sorores diversis nominibus: Cornelio Sabino Q. Sulpic. f. et Gergiae Matidiae L. Septimii f. Posthumiae et Valerio Petronio et Modestinae Antoninae Q. Castalius Sabinus Cor. f. parentibus germanisque meis (Murat. 1252. 5. cf. Cannegieter. p. 11. Adde Elbendt. p. 85 sq.)

Ex iis quae a nobis allata sunt elucet, quantopere a pristino more in nominibus filiis indendis posterioribus temporibus decesserint Romani. Idem valet de filiabus. Reipublicae temporibus filiabus nomen gentilicium patris imponere solebant, post vero, pristino usu relicto, varias mutationes subiit filiarum nominatio, quod jam probatur stemmate domus Augustae⁶⁷). Silentio praetermittens cognomina a mulieribus assumta, cujus moris exstant exempla apud scriptores⁶⁸) et in inscriptio-

67) Cf. Stemmata Glandorpii p. 955 sqq. Lipsii in Ed. Taciti. Traj. Bat. 1721. II. 562. Rupertii l. l. Cannegieterum p. 16 sqq. 104 sqq.

68) Junia Fadilla, Nonia Celsa, Metia Faustina, Flavia Titiana, Fabia Orestilla, Domitia Paulina, Didia Clara, Domitia Calvilla, Domitia Lucilla, Bojonia Procilla, Annia Fadilla, Annia Faustina aliae. cf. Scriptt. Hist. Aug.

nibus⁶⁹), et praenomina, quae negari posse non videntur⁷⁰), nonnulla tantum proferam exempla, quibus probetur, quanta licentia in nominum filiabus dandorum irrepserat serioribus temporibus. — Filia appellata modo nomine gentilicio, modo cognomine patris, vel fortasse utroque paterno nomine: Caecilia sive Metella (Caecilia Metella), cujus nominis plures exstant in gente Caecilia, ut Q. Metelli Macedonici filia, Q. Metelli Balearci, Q. Metelli Dalmatici, Q. Metelli Cretici (cf. Drumann. I. I. II. 23. 24. 36. 55). Munatia plerumque Plancina vocata, Cn. Pisonis uxor, verisimiliter L. Munatii Planci filia (Lips. ad Tac. A. II. 43. Drumann. IV. 213). Vipsania Agrippina, Agrippae et Pomponiae (Attici filiae) filia, Imperatoris Tiberii uxor (cf. Lipsii stemma. Glandorp. p. 907. 956). — Filia appellata nomine patris et cognomine alieno: Domitia Lepida, filia L. Domitii Ahenobarbi et Antoniae, uxor Valerii Messallae, qui pater fuit Valeriae Messalinae, Imperatoris Claudii uxoris (Lips. ad Tac. A. XI. 37. Drumann. II. 30). — Filia vocata nomine patris vel alieno nomine (fortasse materno?): Antistia, etiam Pollutia nominata, L. Antistii Veteris filia, Rubellii Plauti uxor (Tac. A. XIII. 11. XIV. 22. XVI. 10). — Filia vocata duobus a paterno diversis nominibus: Poppaea Sabina, T. Ollii filia, quae nomen avi materni sumpserat (Tac. A. XIII. 45). Junia Torquata, C. Silani filia (Lips. ad Tac. a. III. 69). — Filia appellata nomine gentilicio matris (vel potius avi materni): Julia, filia Agrippae et Juliae, Augusti filiae, uxor L. Aemilii Pauli (Suet. Aug. 64. Tac. A. IV. 71. cf. Lips. ad Taciti l. l. et ejusd. stemma Augustae domus). Agrippina, Caesaris Germanici (Drusi et Antoniae filii) et Agrippinae (Agrippae et Juliae filiae) filia (Suet. Calig. 7. Tac. A. I. 33. II. 71 al. Lips. stemma). Livilla, ejusdem Germanici filia (Suet. Calig. 7) a Livia proavia materna, Augusti uxore, nomen

69) Cf. Zaccariam p. 83. Fabrettum p. 172 sq. Ellendtium p. 80 sqq.

70) Cf. Fabrettum p. 30 sqq. Scaligeri indicem Gruter. XIX. De iis quae ad grammaticam pertinent v. praenomen et recognitionem ejusdem ab Orellio No. 2730—44 institutam.

cepit. De aliis Augustae domus mulieribus cf. Cannegieterum p. 17. 105 sq. et stemmata Glandorpii, Lipsii, Rupertii. — Filia cui inditum nomen et cognomen maternum: Pappiae Modestae C. Julius Euplus et Pappia Modesta parentes (Fabr. 382. 202). Alia exempla cognominum a maternis avitisve nominibus desumptorum vide apud Ellendt. p. 80 sqq. — Filia, cui nomen maternum et cognomen paternum sive cognomen a paterno nomine formatum: Juliae Paulinae Julia Paterna mater et T. Ogius Paulinus pater (Zaccaria. 68. Hagenbuch. 258). M. Fabio Accia M. f. marito et Accia Fabulla patri (Fabr. 460. 84). Aeliae Soslolae filiae Minucius Soslus et Aelia Primitiva parentes (Fabr. 173. 355.). Fabia Prisca Geminii Prisci ex Fabia Cadilla filia (Grut. 682. 7) (cf. Hagenbuch. 258 sq. Zaccariam. 68. XVI. 83. XXXI). — Filia appellata paterno et materno nomine gentilicio: Sex. Attio Attico patri, Valeriae Sextiae matri, Valeriae Attiae sorori L. Attius Secundus (Orelli 2749). — Filia utens materno et alieno nomine: C. Albius Mascellio nomine suo et Juliae *Ingenuae* uxoris et Albinorum Juliani, Mascellionis, *Ingenuae Montanae* liberorum suorum (Grut. 51. 2). Vipsania Servilla Clodii Gallicani et Clodiae Severae filia (Reines. XIV. 49. p. 735). — Filia nomine et a paterno et a materno alieno: Cornelius Sabinus pater, Gergia Matidia Postumia mater, Modestia Antonia filia (Murat. 1252). — Mulieres appellatae duobus nominibus gentiliciis: Ennia Naevia Caligulae uxor (Suet. Calig. 12). Albia Terentia Othonis mater (Suet. Otho 1). cf. Cannegieterum p. 8, qui profert alia exempla. Hujus generis exempla saepissime exhibent inscriptiones, ut: Aurelia Marcia (Mommsen 1180). Valeria Marcia (2809). Ovia Marcia (5157). Julia Marcia (5315). Domitia Octavia (4069). Marcia Quintia (Grut. 805. 9). Antonia Valeria (Murat. 1434. 12).

E disquisitionibus nostris perspicui potest, quantam licentiam sibi sumpserint Romani seriorum temporum in liberis nominandis. Non solum filii, sed etiam filiae a paternis diversa nomina gerebant, modo materna (aut matris ipsius, aut avi materni), modo parentum nominibus dissimillima. Quod profectum

est haud dubie a vinculis arctioribus propinquitatis et amicitiae, adoptione in gentem maternam vel alienam adhibita. Nec dubitaverim, quin eodem modo quo in filiis etiam in filiabus nuncupandis res sese habuerit⁷¹⁾.

Dubitari enim non potest, quin ut filii ita etiam filiae adoptari potuerint. Arrogatio quidem filiarum reipublicae et primis Imperatorum temporibus non usitata erat⁷²⁾; postea autem ex rescripto Principum et feminae arrogari poterant⁷³⁾. Adoptari vero potuisse et mulieres reipublicae temporibus concedendum est. Num a reipublicae scriptoribus feminarum adoptio commemoretur, mihi quidem compertum non est. Non tamen me latet, imperii scriptores, ut Plinium⁷⁴⁾, Dionem⁷⁵⁾ pariter ac jureconsultos Gajum et Ulpianum tali modo hac de re agere, ut non res nova, sed usitata, habenda sit⁷⁶⁾. Matronae ipsae adoptari poterant. Adoptio Liviae per testamen-

71) Cf. Zaccariam p. 92. Hagenbuch p. 261. Zell. p. 101.

72) Gell. V. 19. 10. Neque pupillus autem, neque mulier, quae in parentis potestate non est, adrogari possunt, quoniam et cum feminis nulla comitorum communio est et tutoribus in pupillos tantam esse auctoritatem postestatemque fas non est, ut caput liberum fidei suae commissum alienae conditioni subiciant. Gajus I. 99. Populi auctoritate adoptamus eos, qui sui juris sunt: quae species adoptionis dicitur adrogatio. I. 101. Per populum feminae non adoptantur. Ulpian. fr. VIII. 5. Per populum Romanum feminae non arrogantur.

73) Dig. I. 7. Lit. 21. Et feminae ex rescripto principis arrogari possunt. Cod. VIII. 48. L. 8. Nam sui juris arrogatio feminae, nisi ex nostro rescripto, nusquam procedit.

74) Plinii Ep. VIII. 18. Domitius Tullus — reliquit filiam heredem, quae illi cum fratre communis, quia genitam fratre adoptaverat — Curtius Mancianus, perosus generum suum Domitianum Lucanum — sub ea conditione filiam ejus, neptem suam, effecerat heredem, si esset manu patris emissa. Emiserat pater, adoptaverat patruus.

75) Dio LX. 33. 'Ὅποτε δὲ ὁ Κλαύδιος τὸν Νέρωνα ἐσεποιήσατο — τὴν Θυγατέρα, ἐς ἕτερόν τι γένος ἐκποιήσας, — τέρας — ἐγένετο.

76) Gajus I. 99. Imperio magistratus adoptamus eos, qui in potestate parentum sunt, — qualis est filius et filia. I. 101. Aput praetorem vero vel in provinciis aput proconsules legatumve etiam feminae solent adoptari. cf. I. 134. In ceteris vero liberorum personis, seu masculini seu feminini sexus, una scilicet mancipatio sufficit. Ulpian. VIII. 5. Per praetorem vel praesidem provinciae adoptari tam masculi quam feminae — pos-

tum Augusti ⁷⁷), uxoris per maritum, sine dubio inusitata erat. Adoptio per testamentum, ultimis reipublicae et Imperatorum temporibus adhibita, non adoptio veri nominis putanda est, quae adoptatis cuncta jura in adoptionem datorum tribuerit, sed solummodo, ut videtur, jus nominis testatoris gerendi ⁷⁸). In locis allatis jureconsultorum aperte quidem de matronarum adoptione non agitur; utuntur verbis „filia“ vel in universum „femina“. Matronas vero adoptatas fuisse liquet ex Institutionibus et Digestis ⁷⁹).

sunt. cf. Inst. I. 11. (De adoptione). § 1. Dig. I. 7. L. 2. Cod. VIII. 48. L. 8. Ibid. L. 10. § 4. — De adoptionibus mulierum cf. Krafft in Paulii Encyclop. v. Adoptio. Zimmern: Gesch. des Röm. Privatrechts. 1826. l. 806—27. Walter: Gesch. des Röm. Rechts. Ed. altera. 1846. II. 145—49. Rein: das Privatrecht und der Civilprocess der Römer. 1858. p. 472—82.

77) Tac. A. I. 8. Livia in familiam Juliam nomenque Augustae assumebatur. cf. V. 1. Suet. Oct. 101. Heredes instituit Tiberium — Liviam: quos et ferre nomen suum jussit. cf. Cannegieterum p. 16 sq. 81 sqq. 93 sq. Dirksen: Versuche zur Kritik des Röm. Rechts. 1823. p. 78. 87 sq. Rein l. l. p. 481 sq.

78) Cf. Dirksen l. l. p. 73—88. Rein p. 480—82.

79) Inst I. 10. § 2. Et ideo constat, si quis generum adoptare velit, debere eum ante filiam emancipare, et si quis velit nurum adoptare, debere eum ante filium emancipare. Dig. XXIII. 2. L. 17. § 1 (e Gaji libro XI ad edictum provinciale. Itaque volente generum adoptare, suadet ut filiam emanciparet; similiter suadet ei, qui nurum velit adoptare, ut emancipet filium.

C o r r i g e n d a .

- P. 10 l. 35 est refert l. ut refert.
 — 11 — 19 Muria l. Mucia.
 — 16 — 29 cum l. eum.
 — 19 — 17 Glundorp. l. Glandorp.
 — 24 — 14 exolescant l. exolescunt.
 — 26 — 25 Chrm l. Chron.
 — 29 — 19 ei l. et.
 — 40 — 12 cum l. eum.
 — 48 — 21 *secutorum* l. *seculorum*.
 — 55 — 8 nonnullos l. nonnullas.
 — 55 — 8 specilegium l. spicilegium.
 — 55 — 8 relinquerint l. reliquerint.
 — 60 — 29 (Facti) l. (Fasti).

T H E S E S .

- 1) Lex, quam vocant „the petition of right“ anno MDCXXVII lata est.
- 2) Imperator Lotharius I. a rerum scriptoribus non recte dijudicatur.
- 3) Octavo circiter anno p. Chr. n. causa acta est in T. Labienum atque Cassium Severum.
- 4) De tempore, quo communitas regni Angliae (the House of Commons) se formaverit, nil certi statui potest.